PER · IACOBVS · DIS ZADZIKA

SECRETA PRINCIPIS ANHALTINI CANCELLARIA.

Hoc est,

VERA AC GERMANA DETECTIO CLANDESTINARVM DELIBERATIONVM, CONSILIORVM, AC PERNICIOSARVM MACHINATIONVM &c.

quas correspondentia VNIONIS capita & Directores, durantibus adhuc in toto S. Rom. Imperio motibus bellicis, in non leue REGNI BOHEMICI, &, respectiue, Augustissimæ domus Austriacæ, exterorum Principum, adeoq; vniuersi S. Rom. Imperii, præiudicium & euersionem tam in publico quam Ecclesiastico statu, inter se inuicem commutarunt; quæ autem singulari diuina prouidentia, per, 8. Nouemb. insignem contra Bohemos eorumdemue Coryphæos & asseclas obtentam Victoriam Pragensem, in ipsis commemorati Principis Anhaltini Archiuis sub Originali repertæ, & vniuerso terrarum Orbi manifestatæ atque propalatæ sunt.

NVNC TAM EXTERIS QVAM INQVILINIS PRINCIPIBVS, OMNIBVSQVE TOTIVS S. ROM. IMPERII Ordinibus, ac Rebuspublicis, fidelissimæ Germanæq; admonitionis detestationisq; gratia, typis publicis gratæ posteritati communicatæ.

A. P. A.

Cum Indice.

ANNO M. DC. XXI.

ADMODVM REVERENDIS, VENERABILIBVS, CLARISS. NOBILISS. ET DOCTISS. DOMINO DEcano A. W. & cæteris Cathedralis Ecclesiæ ad D. BARPTOLOMÆVM in Mœno-Francofurto Dominis Capitularibus, omnibus & singulis, Dominis, & amicis meis obseruandissimis.

S. D. P.

PHILIPPVS REX MACEDONIAE, ADMOdum Reuerendi, & Inlustres, Clarißimi, Doctißimi, & Humanißimi Domini Mecœnates, cum ei nunciatum esset Tethripponem vicisse in Olympiis, Parmenionem Dardanenses prælio fudisse, & vxorem eius sibi masculum fœtum enixam esse, porrectis in cœlum manibus ita exclamauit:

O FORTVNA pro tot, tantisque bonis leui quopiam malo me affice! *Non enim Rex ille Cordatißimus & Prudentißimus, ob rerum à suis belli Ducibus præclare gestarum prosperum successum, insolenter gestiit, sed* FORTVNÆ INDVLGENTIAM *suspectam habuit, cuius ingenium nouerat, vt hisce, quib. nimirum exitium molitur, prius noua rerum prosperitate blandiatur. Quocirca* HECVBA *de* FORTVNÆ *instabilitate, & non altum sapiendum propter prosperos* FORTVNÆ *successus, in hanc sequentem sententiam ita disputat;* Vide Euripid.

Præstantiorem non oportet iniuste dominari:
Neque fortunatos putare, semper se tales futuros.
Nam & ego olim fortunata eram, nunc non sum amplius:
Sed opes omnes VNA mihi DIES abstulit.

Quomodo Crœsus summa sua felicitate priuatus fuerit, testantur id Historici: adeo

Herod. & Plutarch. in vita Solonis.

vt non tam scite, quam vere loquatur Phauorinus, inquiens: Homo cum sis, numquam dixeris quid cras futurum fiet: neque homine felice viso, quamdiu talis mansurus sit: neque si familiam felicem videris.

Herman. Kirchn. D. & Poeta Cæs. in suo Coriolano.

Anceps (*inquit Poeta*) FORTVNÆ passus est, nec quemquam, post homines natos,

Inuenias, quem non lubricitas eius deluserit *&c. & idem ille:*
---- rota circumagimur mutabilis
Sortis quotquot in Imperii puppe stamus: aquas
Nauigamus, scopulis, syrtibusque altis obnoxias:
Nemo euentui sacrificare possumus, ad vltimam
Lineam priusquam rerum deuentum fuit omnium &c.

Cic. pro Sylla.

O volucrem, igitur, fortunam! quam cito omnia ex lætitia & voluptate ad luctum lacrumasque reuertuntur.

Ad propiora, Admodum Reuerendi, Clarißimi, & Doctißimi viri, vt de- [illegible] *a & gloriosißima Inuictißimi Imperatoris* FERDINANDI II. *Domini nostri Clementißimi, aduersus rebelles suos Bohemos consequuta victoria, nonne rerum humanarum, volubilisque* FORTVNÆ *insigne exemplum? nonne luculentum (. quod* aduersus stimulum calcitrare durum *fiet,) testimonium? nonne pressæ sed non oppressæ, veritatis manifestatio? nonne legitimi Magistratus (cui* DEVS TER OPTIMVS MAXIMVS *parere & suum tribuere iubet) restitutio? Proh Deum immortalem quanta antehac malorum in Bohemia, incorporatarumque Prouinciarum Confœderatione lerna erat? qua confusio? qualis innocentißimi, nullo ætatis, sexus, status, atque dignitatis habito respectu, sanguinis profusio? quæ rebellio? qualis, aduersus summum totius terrarum Orbis caput, gentium, quæ fremebant aduersus vnctum Domini, insurrectio? quot technarum, clandestinarumq; molitionum excogitatio, & heu dolor, exequutio? Sed hæc omnia* TEMPORIS FILIA, *veritas, insignis, de qua diximus, victoria, & sub ista reperta præsens* ANHALTINI PRINCIPIS CANCELLARIA, *toti mundo detexit; atq; adeo ipso facto testatum fecit,* Deum *legitimi abs se constituti Magistratus honorem sartum tectumque conseruaturum, eiusque turbatores confusioni & rubori daturum. Plura heic (vti possem) sicco pede lubens prætereo, ne aduersæ, victæ, & confusæ parti forsitan (quod absit, humani enim à me nihil alienum scio, & humanarum rerum inconstantiæ omneis mortales esse obnoxios haud ignoro) insultare videar.*

Matth. 22. Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris &c.

Anhaltinam igitur hancce Cancellariam, ex vernacula in Romanam linguam à me tralatam, Admodum Reuerendi, Clarißimi, & Doctißimi viri, cum primis,

primis,

primis vero tibi, Domine Decane, A. W. *cuius quamplurima in me, vix visum, exstant beneficia, vobis ideo sacram esse volo iubeoque, vt habeam, qui me aduersus publicæ pacis, atque adeo ipsius S. Cæs. Maiestatis, Domini nostri clementissimi, hosteis defendant, atque imposterum mea studia sibi quam commendatissima habeant; tum denique, vt publico hocce monimento gratum meum animum aliquo modo erga benefactores meos ostenderem. Vos omneis & singulos diuinæ protectioni commendans, Raptim è Musæiolo meo 1. Aug. A. C. M. DC. II. XX.*

REW. Vestris Dig.

Obseruantissimus Cliens

PER METATHESIN

Raphael Sulpicius à Munscrod.

LECTORI BENIVOLO

S. D. P.

OMNIBVS TYPIS PVBLICIS DIVOLGANDIS Tractatibus atque libris, amice candideque Lector, plerumque Præfationes præfiguntur, partim vt tam opus ipsum, quam eiusdem auctor de meliori, vti aiunt, nota commendentur: partim etiam, vt certus quidam Patronus, clementia, fauor, atque tutela impetrentur: partim denique vt decentes gratiarum actiones pro exhibitis beneficiis Mecœnatibus persoluantur.

Hasce & similes istiusmodi ob conditiones nulla heic singularis aliqua præfatio requiritur, quippe cum materia ipsa, SECRETA, nimirum, PRINCIPIS ANHALTINI CANCELLARIA, (in qua deploranda intemperies Bohemica, & exinde subsequutus turbulentus status Germaniæ, aliarumque Prouinciarum, ac motus quasi vniuersalis, tractatus, consultatus, decretus, atque tamdem in effectum deductus est) & quod plura istiusmodi grauissima secreta atque clandestinæ machinationes lucem adspexerint, in vniuerso terrarum orbe tantam sui famam excitauit, vt quilibet eius rei scientia maxumopere tangatur.

Auctores, præterea, periculoso-clandestinarum istarum machinationum, vtpote CHRISTIANVS Princeps Anhaltinus, Elector Palatinus, IOACHIMO-ERNESTVS Marchio Brandeburgicus, ALBRECHTVS, Comes Solmensis, VOLRATHVS à Plessen, D. LODOICVS CAMERARIVS, &c. ACHATIVS & CHRISTOFERVS à Dona, &c. per se sat noti, inlustri prosapia oriundi, & in functionibus Bohemicis nominati, qui etiam (vti ex contextu liquet) propriis suis manibus sese ipsos prodiderunt. Iccirco hoc opus siue tractatus, re ipsa, commemoratorum Auctorum proprium opus est, exceptis aliquot (vt Lector in meditando

meditando atque tempus inuestigando molestia laboreque subleuaretur) ab initio & fine huius operis circumstantiis, quæ, iuxta rei gestæ seriem, aliquanto clarius explicatæ, & aliquot, in nullius præiudicium vergentes, notæ, ad meliorem informationem (absque vllo quæsito decore vel elegantia) adnexæ fuerunt.

Nullum itaque alium Patronum, amicum, clementiam, fauorem, vel protectionem ANHALTINO-PALATINA ista CANCELLARIA quærit, quam ipsam veritatem, eius cognitionem, ipsam iustitiã, & omnia denique syncera minimeque fucata corda, cuiuscunque status & conditionis etiam illa fuerint, quæ non dumtaxat hodierno, verum etiam futuro tempore, ansam occasionemque nacta sunt, vt videlicet mundi hodiernum cursum sedulo perpendant, rebusque suis studiose inuigilent.

Equidem quum Tragœdiæ huius Auctores mysteria sua adeo clanculum tractauerint, atque, ob illorum publicationem, paruas sane gratias repensuri sient (quemadmodum etiam non minimus ex ipsorum numero hanc repertorum Originalium iacturam, pluris quã ipsius regni, Prouinciarum, impedimentorumque amissionem, fecerit) nihilominus tamen pij ad communem salutem, incolumitatem, prosperitatemque inclinantes animi, cumprimis ij, qui forsitan passi, vel etiamnum passuri sunt, DEO TER OPTVMO MAXVMO eo maiores persoluent gratias, quod ista contra ipsos aliosque suscepta consilia iusto tempore, &, vti aiunt, in medio anxietatum, detecta fuerint; atque imposterum quiuis, cui fidendum credendumve fiet, sedulo possit animaduertere, *ni cum Phrygibus*, qui sero sapiunt, *sapere voluerit*. Sero Phryges sapiũt.

Epilogi loco beniuolus Lector quoque admonetur, quod hic Tractatus in tria capita vel membra distributus sit. Quoniam vero primum cum tertio ferme correspondeat, & alterum principale membrum fiet: iccirco modo iam commemoratum membrum mox principio insertum est. NB.

EPIGRAMMA.

Tecte quicquid agis, bene agis: contraria verbis
Iures, testeris dummodo: NEMO VIDET;
In iustos procerum mala conspiratio Reges
Saltem clam fiat, fit bene: NEMO VIDET;

Regũ

Regis in exitium peregrinum poscere Martem
Occulto fas est tegmine: NEMO VIDET;
Sollicitare lubet Regesque, Vrbesque, Ducesque,
Orbem & leges vertere: NEMO VIDET;
NEMO VIDET: *videat nactam licet omnia victus*
Post palmam: ast iam dicite: NEMO LEGIT.

QVAM IMPERVESTIGABILIS, MIRABILIS, ATQVE INEFFABILIS VOLVNTAS, consilium, sapientia, dispositio atque permissio Domini fiet, *qui solum mirabilia* Psal. 35. v. 7. *& res incōmemorabiles facit* Iob 5. v. 9. *& cuius iudicium summa est profunditas* Psalm. 35. v. 7. id, inquam, Sacro-Romanum Imperium GERMANICÆ NATIONIS perturbatis turbulentisque hisce temporibus luculenter satis vidit, atque in hodiernum vsque diem magis, quam durante Imperio, expertum est. Quamuis vero incendium, ab initio in Bohemia exortum, mox alia quoque Austriaca regna & hæreditarias Prouincias inuasisset, & tam florentes, fœcundas ad omnem humani generis necessitatem abundantes, ditissimas, atque adeo per sese inuincibiles Prouincias deuastasset, multisque in locis in fauillas cineresque resoluisset, atque in ijsdem tot innocentissimorum Christianorum millium preciosissimus redemptus sanguis effusus fuisset, quemadmodum illud deploranda vestigia & rudera in conspectu testantur, omnibusque posteris, donec mundus durabit, viuum quasi exemplum erit, quid nimirum nostris temporibus, nobis ipsis per malas nostras actiones ansam occasionemque præbentibus, subsequutum fuerit: nihilominus tamen scaturigines, capitales radices, & fundamentalia consilia omnium etiam in ipso Imperij medio exortorum motuum atque tumultuum, multo ante præparata, impulsa, & tamdem, Bohemicæ intemperiei occasione, diuolgata atque ipso facto in effectum deducta fuerunt.

Idque potissimum hoc modo, quod quidem principales inuentores & directores aliis illud negotium facile, factu haud difficile, pulcrum, artificiosum, pium, ab ipsorum parte per omnia vtile, esse persuaserint, ipsorum aliquos, ex priuato interessente adfectu, vel tamquam in re communi Euangelica partim totos in suam nassam pertraxerint, non medioxumam sane partem per fucatas persuasiones in tantam incommoditatem præcipitarint, vt eamdem sibi ipsi non solummodo non imprimere, verum etiam sese iterum exinde

inde extricare nequeat. Non pauci quoque propria sua conscientia eo adacti fateri iam necessum habent, sese seductos, & quot damna, præiudicia, pericula & calamitates sustinuerint, & quam grandes pecuniæ summæ, quas sæpius quædam ciuitas eiusdemve inquilini magna solertia, molestia atque labore per frugalitatem atque parsimoniam honeste corraserunt, paucis dumtaxat nunc ab annis huc collatæ, vel potius in aquam coniectæ, & quot locupletissimæ præparationes cum tormentis, munitione, annona, omnique apparatu, ad manifestum bellum pernecessariæ, institutæ fuerint, & denique quot incommoditates Euangelicæ Vnioni incorporati correspondentesque Ordines distributione armorum, sustentatione propriorum suorum subditorum Prouincialium, ciuium, &c. randenouois itidem, diribitoriis, hospitiis, militarium copiarum ab Vnione conscriptarum & Bohemis subsidio auxilioque tramissarum transitibus, direptionibus, latrociniis, calumniis, aliisque hostilibus attentatis, aliarum nationum in humeros suos proprios deriuauerint. Magazini.

Similiter quod exinde Romano-Cæsareæ M. eiusdemve domus exercitus omnino in S. R. Imperium (in quo illi & isti, iste & illi Cæsareæ S. M. duas antehac impositas & aliquandiu possessas coronas, vna cum incorporatis, aliisque Austriacis hæreditariis Prouinciis, à capite suo auellere, immo eamdem in adipiscenda Romana corona omnibus viribus impedire, commemoratamque domum, vna cum Romano-Catholica relligione plane opprimere conati sunt) concesserit, inibique, cum bella absq; detrimento atq; damno neutiquam geri possint, tam nocentes & auctores, quam alij quoque vicini cum prouinciis & populis suis multis modis pati necessum habuerint.

Quo facto Rhenanæ, aliæque finitimæ Prouinciæ earumdemve inquilini, cum primis Wormatia & circumiacentes ab vnius vel alterius partis militibus in præsentem perturbatum statum, extremamque inopiam partim redacti, partim vero in exilium relegati sint: agri inculti rellinquuntur: Ordinum prouentus & vectigalia extenuantur, imminuuntur: Vrbium ciuiumque Mechanica atq; Comercia labefactantur: subsidia in arctum rediguntur: & istæ (vrbes) ad superfluas, sumptuosas, ciuibusque multis in modis onerosas exædificandas munitiones & propugnacula incitantur.

Vice versa quoque census, contributiones, aliaque subditorum

B onerosa

onerosa onera duplicantur, immo tri: vel quadrupliciter exprimuntur, & miseri subditi, vna cum coniugibus & charissimis thori pignoribus ad interiorem vsque medullam exsuguntur: annui reditus & prouentus, præsertim vero ciuitatum Imperialium Commercia indies adhuc impediuntur, & residuum, per contagiosas grassantes lues, annonæ caritatem, & subtractionem humano generi necessariorum victualiorum passim absumitur.

Sin vero nunc rebus nostris ferme desperatis minime inuigilare, neque à tam perniciosis detectis (laudetur summa Trinitas) consiliis, intentionibus, & insidiosis practicis cessare vel cauere velimus, procul omni dubio plenaria ruina Romano-Germani Imperij, quod ab antecessoribus & charissimis maioribus nostris, per aliquot nunc secula, contra exteras nationes heroice conseruatum, ampliatum, & ad nos translatum est, Ipsissimis nostris temporibus, per exacerbatum plane ob: & excæcatum nostrum animum, cum perpetua inextinguibili ignominia, præiudicio, & insigni bonæ famæ macula, metuenda, & commemoratum laudatissimum, Nobilissimum, heroicum GERMANICÆ NATIONIS Imperium, quod hactenus inuictum, atque aliis gentibus terrori fuit, iam peregrinis, & singulis ferme, præda fieri, ac forsitan (quod tamen malum DEVS TER OPTVMVS MAXVMVS clementissime præcauere velit) in barbaricam barbari Archi: & hæreditarij Christiani nominis hostis seruitutem redigi oporteat, qui tamen cum omnibus Christianorum inimicis, cum multo minori potentia, sumptu, præparatione, & coniunctis viribus (quemadmodum dumtaxat duobus nunc elapsis annis in S. R. Imperio & vicinis regnis videre fuit) plane à Constantinopoli pelli, prouinciæque Turcicæ, atque adeo totius Orientis tractus iterum ad Christianitatem reduci atque transferri posset.

Cum vice versa omnis ista, non facile hactenus conspecta atque audita Christiana præparatio bellica inter Christianos, in proprium ipsorum detrimentum atque perniciem, excitata, arma sua, tormenta, munitionesque bellicas, contra proprios suos consanguineos, agnatos, vniusque quasi corporis membra, non secus quam inter capitales hostes fieri consueuit, vsurpauerit, omnino cum modo commemorati Archihostis Turcici summa exoptata occasione, qui per hancce Christianorum propriam sanguisitibundam capitalem inimicitiam, quam absq; singulari externa adsistentia, nullo animaduertente, tam artifi-

artificiose promouere potest, plus emolumenti contra se ipsam in extremam perniciem præcipitantem Germanico-vicinam nationem captat, quam cũ omni sua Ottomannica potentia atq; Monarchia, quãdiu etiam ista duratura fiet, efficere posset: cumprimis quod Christianum, cum S. Rom. Imperij sanguine & infinitis sumptibus multis nũc annis heroice atq; mascule tutatum strenueq; defensum propugnaculum (HVNGARIÆ REGNVM) inter se ipsum diuisum, exhaustum, desolatum fiet, & potior pars in Turcici mancipij siue Vasalli, GABRIELIS BETLEHEMI videlicet, manibus consistat. Ad Bohemiæ regnum, eidemve incorporatas Prouincias quod attinet, eædem ad maiorem sane S. Rom. Imperij partem, pecunia, prouisione, & populis exhaustæ sunt: exacerbati quoq; inter se inuicem animi sua huc vsq; continuata extrema cottidie magis magisq; cumulant, Ottomannicæ portæ extremam opem auxiliumq; implorant, & forsitan seipsos protinus cum ipso coniuncturi sunt.

PROH DEVM immortalem quam elegantissimi selectissimique milites, vt iam cæteras innumerabiles, innocentes, minimeq; interessentes pessum datas animas taceamus, hisce duobus annis, vel per naturalis subsidij defectum, vel per armorum, ignis, morborumq; violentiam absumpti sunt? Si quis tam Vnitorum in S. Rom. Imperio, quam Stadensium, Hungarorum, Bohemorum, incorporatarum confœderatarumque Prouinciarum, tam Cæsareæ S. M. eiusdem laudatissimæ domus, & Romano-Catholicorum Ordinum numerum hactenus conscriptarum & sustentatarum militarium copiarum ad amussim Arithmeticæ trahere velit, procul omni dubio vltra centum virorum millia depræhensurus esset.

Quid autem vnanimi omnium consensu contra hæreditarium Christiani nominis hostem, ad totalem Prisco-Romani Imperij restaurationem, effici potuisset: cum iam illi ipsi Tragœdiæ istius auctores atque Primipili intentionem suam non modo non consequuti sint, verũ alios ad armorum arreptionem incitarint, &, quod Christiani seipsos mutuo (tamquam intensissimi capitales hostes) cõsumpserint, in proprio suo sanguine manus & arma sua commaculauerint, amicus & ordo, alterum, subditi sibi à DEO TER OPTVMO MAXVMO legitimo more modoque præpositum Magistratum, hi vero excitatos & ad arma compulsos, persequuti sint, vnice & solum ansam occasionemq; præbuerint?

De incredibili hactenus ad id impenso sumptu minime iam necessum vt istius rationem ineamus: quilibet siquidem ordo, ciuitas & communio, crumena, armamentario, horreisque frumentariis inspectis, residuum atq; paruum sane emolumentum procul omni dubio facile depræhendet, cumprimis autem illi, qui in ciuitatibus ad negotij istius promotionem pecuniam sumministrarunt, redditis superioribus & communionibus suis rationibus, lucrum, vel potius summam iacturam irrecuperabilesque ferme impensas manifestissime percepturi sunt.

Id mehercule fideli sympatriotæ cor confringat, quod hæc chorea, & omnis ista Tragico-Comœdia, in quam S. Rom. Imperium, vtriusque relligionis Ordines, quemadmodum & Bohemia, Hungaria, & relliquæ incorporatæ, confœderatæ Austriacæ hæreditariæ Prouinciæ præcipitatæ sunt, modo per paucas dumtaxat personas inchoata & acta fuerit, quæ tamen in propriis suis cordibus aliter adfectæ, & actiones suas occulto atque clandestino modo eo direxerunt, aliud vero in S. Rom. Imperij Comitiis, aliisque publicis conuentibus, tam oretenus quam scripto comprȩhensos diuolgatos partim odiosos Tractatus, tam decoris, piis, deuotis, tamquam Patriȩ & Reipublicȩ inseruientibus, fidelibus, synceris, Germanis (attamen modo fucatis) verbalibus deductionibus, multifariis Legationibus (nimirum vnice & solum ob communem periclitantem Euangelicum Statum, Germanicam libertatem, exterum peregrinumque dominatum, & conseruationem Electorali-Principalium familiarum concernentem) tam propriis suis confœderatis, quam aliis Augustanæ Confessionis Ordinibus, in suam nassam confœderationemq; alliciendis, & originali sua intentione promouenda, proposuerunt, artificiose inculcarunt; alios vero partim blandis adulatoriis rogationibus, partim grauissimis intentatis minis ad fœdus illud compellere conati sunt: nihilominus tamen modo dictis propriis suis confœderatis, vt de aliis iam taceamus, veram, genuinam, internamque suam intentionem non reuelare ausi sunt, sed in conclaui Senatorio paucarum dumtaxat personarum, clanculum conclusa, instituta, atq; occultata permansit.

Eo magis magisque etiam cottidie (postquam Spiritus Caluinisticus primum, tamquam mansuetus errabundus Spiritus, qui facile sese, SCILICET, informari patitur, & modo sub deuotione apud

& penes.

& penes alios pacifice in omni debito obſequio, abſque offenſione vllius infantis viuendi, diuerticulum ſuum rogando in Germania impetraſſet, veterem vero hoſpitem, iam parumper calefactus, multis in locis abſque vlla miſericordia & commiſeratione loco pepuliſſet, & plane ad Electoratus, Cæſareo-Regiaq; Sceptra anhelaſſet.) animaduerſum fuit, ignem videlicet ſub cineribus latitare, & illum multo aliud quærere: quod etiam illud, quod hic ſpiritus publice prætexuit, & aliis, ipſos (vti factum) in ſuam naſſam alliciendos, perſuaſit, non legitimus ſcopus atque fundamentum, ſed quod iſti intentioni longe alia meta & ſcopus præfixus fuerit: Similiter quod omnes iſtiuſmodi falſæ impoſitiones (quæ Romano-Cæſareæ S.M. & Romano-Catholicis Ordinibus, ipſos pro publicis hoſtibus habendos, & contra eoſdem claſſicum impetrandum, minus ingenue imputatæ fuerunt) non ita, vti tum temporis prætendebatur, ſed longe aliter comparatæ fuerint, etiam Catholicorum animum intentionemq; non eſſe, quomodo ipſis (*contra agnitam manifeſtamque veritatem*) id affingi voluit.

Quocirca ex parte Catholicorum oneroſa iſtiuſmodi figmenta & falſæ impoſitiones veriſſimis, æquiſſimis, fideliſſimiſque reſolutionibus & pollicitationibus iterum refutatæ fuerunt: expreſſa iſta proteſtatione ſemper ſibi reſeruata, quod videlicet nihil aliud, quam ſuum ius, S.R. Imperii Conſtitutiones, & tam care requiſitam impetratamque olim ſacro-prophanam pacem, relligionem, ciuilemque politiam concernentem poſtularent, rogarent, & exoptarent: quodque non vnum, vel alterum Auguſtanam confeſſionem amplectentem Ordinem in ſua Prouincia, iure & Iuriſdictione turbare atque onerare, multo minus (quemadmodum aliquot calida cerebella & irrequieti conſiliarii ſcriptitarunt) exilio mulctare eumdemque tam Prouinciis quam populis ſuis priuare vmquam in animum induxerint.

Et quoniam aliquot Præcipuorum Ordinum atque ciuitatum A.C. M.DC IIX. inchoata, & triennio poſt, A.C. nimirum M.DC.X in manifeſtum bellum erumpentia Martialia Conſilia ad deſtinatum ſcopum minime peruenerint, & intereſſentes Imperiales ciuitates ipſo facto nunc depræhenderint, quod primum CORRESPONDENTIÆ, paulo poſt vere VNIONI ipſi implicati fuerint, vnice & ſolummodo ob ſpecioſam iſtam prætenſionem, quaſi hoc modo ipſarum putatitium reſtitutionis Donauerticæ grauamen tolli debeat: iſtud autem bellum à Generalibus multo aliter geſtum fuerit, adeo vt nullum

exinde ciuitates aliud emolumentum ſperare potuerint, quam vt ad perſoluenda male contentorum militum, atque eorumdem officialium ſtipendia clauem ad ærarium (caſſam vulgo) porrigere neceſſum habuerint: interea idonea occaſione captata, Coryphæi iſti præcipuos aliquot Senatores, quod nimirum Imperiales Ciuitates, ob id, quod alii in ipſarum intentionem molirentur, ærario præfecti & perſolutores eſſe oporteat, adhortati ſunt: qui ſane, reſponſionis loco, ſeſe ita reſoluerunt: manifeſto iam depræhendi, quomodo videlicet res ſeſe cum Imperialibus Ciuitatibus habeat, quæ tamen impoſterum non amplius ita ſeſe ſeduci paſſuræ, multo minus iſtiuſmodi negotiis ſeſe implicaturæ ſint: ea propter, bellum aliis relinquendo, pacem ſectari cogerentur.

Equidem ſi mox ab initio iſtiuſmodi arbitris perſonis, quæ procul omni dubio aliquot præcipuorum Vnionis Ordinum clandeſtinas machinationes ſatis mature, ceu ex vngue leonem, cognouerunt, in Imperialibus Ciuitatibus obedientia præſtita fuiſſet, & non alii, per Spiritum Caluiniſticum inflammati, partim ſeipſos immiſcuiſſent, partim loca, quo melius apud iſtam Vnionem oleum igni adfundere poſſent, occupaſſent: verus tum commemoratæ Vnioni belli neruus, tam peccuniam, quam munitionem, præparationem & ſubminiſtrationem omnium neceſſariorum requiſitorum concernens, ſubtrahi, & eo ipſo plenaria Bohemorum defectio, cum omni exinde repullulata intemperie, præcaueri potuiſſet.

Ita Spiritus Caluiniſticus aſtuta ſua fallacia, & fallaci ſua aſtutia, peculiareis aliquot Imperiales Ciuitates obcœcando, iiſdemue glaucoma obiiciendo, in tam periculoſum labyrinthum iterum præcipitauit.

Quamuis autem iſtæ Correſpondentis Vnionis inſidiæ, conſilia, & actiones (vti paullo ante diximus) non adeo occultæ permanſerint, quod non alii ex circumſtantiis eaſdem colligere & coniectare potuerint, quemadmodum quidam qui iſtiuſmodi technarum non adeo imperiti ſunt, non vna dumtaxat vice, tam oretenus, quam per litteras illud ipſum ſatis ſuperque innuerunt, atque, ne Reſpublicæ ſeſe ita ſeduci paterentur, eaſdem obteſtati ſunt: nihilominus tamen, ob fidele ſilentium Caluiniſticum, cum irrefutabilibus, fundamentalibuſque probationibus veritas aliquandiu

adhuc

adhuc premi oportuit: cumprimis quod Spiritus Caluinisticus exclamationibus, protestationibus, & obtestationib. *Crambem bis coctam,* *Crambe bis cocta mors est.* veteremque suam cantilenam (.rem istam meram defensionem Germanicæ libertatis, relligionis, Priuilegiorum, iurium, atque iurisdictionum, contra Pontificio-Hispanicum dominatum, concernere.) repetierit: donec DEVS TER OPTVMVS MAXVMVS tam perniciosis, diuino suo honori, Sac. Romano Imperio, & omnibus totius terrarum Orbis Christianis Monarchis atque capitibus è diametro quasi repugnantibus consiliis finem imposuerit, &, iuxta ineffabilem imperscrutabilemque suam bonitatem atque Sapientiam, Inuictissimo Romanorum Imperatori FERDINANDO II. in vniuerso mundo notoriam Victoriam Pragensem clementissime largitus fuerit.

Per quam, penes alia infinita diuina beneficia, cumprimis sua, I. Membrũ. iuxta Psalm. CXXXV. vers. quarto, sempiterna misericordia erga suum in terris constitutum summum totius Christianitatis caput, Sac. Roman. Imperium, eius fidelissima membra, & quod illud à totali ruina etiamnum tectum sartumque conseruetur, satis superque apparuit.

II. Quod pari modo, per eamd. Austriaco-Pragensem victo- II. Membr. riosam victoriã, hucusq; summo silentio occultata perniciosa consilia atque machinationes (quo commodius summa capita è thronis suis deturbari, Imperium, regna, & Prouinciæ ad alios transferri, noua regimina introduci, sub specioso prætextu alii præueniri, opprimi, relegari, atque adeo Caluinianorum deliria introduci potuerint.) DEVS TER OPTVMVS MAXVMVS vniuerso terrarum Orbi detexerit, & præcipua istius impressionis capita, eorumdemque summos Officiales & instrumenta directoria, cum propriis suis autographis, Originalibus, atque documentis, in summa ipsorum astutia confuderit & rubori dederit: quæ Scripta CHRISTIANVS PRINCEPS ANHALTINVS (qui tamen alias pro Generalissimo & præcipuo bellatore in intimis etiam consiliis semper prædicatus fuit.) in ab ARCANA SVA CANCELLARIA fuga absque vllo dubio ex diuina prouidentia post se & à tergo relinquere necessum habuit.

III. DEVS TER OPTVMVS MAXVMVS quoque per toties nunc III. Memb. cõmemoratam Austriaco-Bohemicam Victoriam toti orbi terrarum manife-

manifestare voluit quam debiles, nauci, & inconstantes humanæ astutiæ, consilia, machinationes, confœderationes, abiurationes, abdicationes, vires, potentiæ, & stratagemata bellica fient, quæ nō cum Deo in nullum bonum finem sed exacerbatissimo vindictæque cupido animo ad sublationem diuini ordinis in constituto suo mundano regimine, & oppressionem sui vicini (licet idipsum fiat cum manifestissimo proprio periculo & adtractione Christiani nominis hostis hæreditarii, vel eiusdem mancipii & vasalli, omnibusque adeo extremitatibus) suscipiuntur. *Capit enim Deus huius seculi sapientes in sua astutia, & perniciosum ipsorum consilium confundit: consilia malorum anteuertit, ne ipsorum manus maliuolas suas intentiones ad finem perducant.* Iob. V. vers. XII. & XIII.

SECVNDVM MEMBRVM.

AD SECVNDVM MEMBRVM DETECTORVM, & in arcana Anhaltina Cancellaria relictorum Originaliorum, Consiliorum, Scriptorum, Instructionum, Legationum, Correspondentiarum &c. quod attinet, beniuolus lector de præcipuis punctis & articulis, in quibus Vnionis intentio potissimum fundata fuit, & de quibusdam Bohemicorum motuum, abdicationis, nouæque electionis circumstantiis prius admonendus est,

Et I. quidem VNIONEM dumtaxat ad propriam defensionem, contra Catholicorum consilia & machinationes, nullo modo autem ad vllius hominis offensionem.

II. Neque aduersus Romano-Cæs. Maiestatem,

III. Multo minus contra S. Rom. Imperium,

IV. Sed multo potius ad conseruationem Cæs. S. M. dignitatis, officii, honoris, atque reputationis,

V. Similiter ad prosperitatem incolumitatemque S. Roman. Imperii.

VI. Ad vindicationem Germanicæ Libertatis, Priuilegiorum, communis vniuersalis iuris, bene sancitarum saluberrimarum Sacri Roman. Imperii Constitutionum, Sacro-prophanæ pacis, cumprimis Euangelicæ à Catholicis coangustatæ rellígionis.

VII. Ad propagationem exoptatæ pacis, & sublationem omnis diffidentiæ.

VIII. Con-

VIII. Contra Pontificio-Hiſpanicum iugum, peregrinum dominatum atque ſeruitutem.

IX. Et propter ipſis oneroſa grauamina initam inſtitutamque eſſe.

X. Confœderatos ſemper in defenſionis terminis, quiete, atq; pacifico ſtatu permanſiſſe: nihil hoſtiliter attentaſſe: nullos milites cõſcripſiſſe: vel præparationem quamdam bellicam inſtituiſſe: priuſquam à Catholicis laceſſiti ad id quaſi coacti fuerint.

XI. Vnioni de adipiſcendo vllo Catholico Epiſcopatu, nihil vmquam in mentem veniſſe, neq; Eccleſiaſticis bonis inhiaſſe.

XII. Quemadmodum & cæteri S. Rom. Imperii ſiniſtri intellectus, ita quoq; exorti motus in Bohemia, Vnioni curæ ſint, eoſdemque ſerio deteſtentur.

XIII. Confœderatos & Vnionis Generaliſſimum nihil amplius deſideraſſe, quam quod commemorati Bohemici motus, per bona media, abſque vlla amplificatione, vtrimq;, tam inter Cæſaream Maieſt. quam inſurgentes eiuſdem ſubditos, mature ſatis, & quidem ſub ipſis cineribus iterum componi potuerint.

XIV. Quocirca ipſos, cum primis autem Electorem Palatinum, ſummopere laboraſſe, & tam Cæſaream S. Maieſt. quam ipſos etiam Bohemos per delegatos ſuos oretenus, & comprehenſo ſcripto ad id admonuiſſe.

XV. De eo vniuerſum terrarum Orbem Septemuiro Palatino teſtimonium perhibere neceſſum habere, cum adnexis grauiſſimis affirmationibus & proteſtationibus, eumdem videlicet Palatinum ſuo officio ſatisfeciſſe & propterea ab omni metuenda intemperie liberum immunemque eſſe velle.

XVI. De noua Bohemorum ad Electorem Palatinum deriuata electione, illum (Palatinum) antea ne quicquam reſciuiſſe, eamdem non ambiiſſe, multo minus doloſis artibus quæſiiſſe, ſed id ſingularem diſpoſitionem & voluntatem *Dei, qui regna det, & transferat,* fuiſſe, cui Palatinum locum ceſſiſſe, idque ad conſeruationem Coronæ Bohemicæ, quæ alias plane ab Imperio auulſa fuiſſet, quoniam Bohemi à ſacramento & obſequio Regis FERDINANDI domuſque Auſtriacæ ſeſe liberaſſent: cum proteſtatione eiuſdem Electoris Palatini.

XVII. Vnitos confœderatoſque Ordines Bohemicam intem-

periem nullo modo tangere, multo minus, tamquam non intereens-tes, ipsis opem auxiliumque præstitisse.

XVIII. Excepto quod militaribus Bohemis auxilio summissis copiis transitum non prohibuerint.

XIX. Dimissum in Italia Comitem Mansfeldium Norimbergæ peccuniam accepisse, &, quum à Bohemis summus rei tormentariæ præfectus constitutus fuerit, sub solutione suorum Norimbergæ apud se habentium Officialium denuo pro iisdem Bohemis militem recentem conscripsisse, eumdemque in Bohemiam duxisse.

XX. Ex præscripto Imperialium Constitutionum Electorali Vicario Ambergensi, CHRISTIANO Principi Anhaltino, eumdem Mansfeldium cautionem præstitisse, qui tamdem transitum (. inscio Electore modo vt peregrinus iste miles à Palatinatu arceretur) eidem concessisset.

XXI. Et denique Vnionis militareis copias non in emolumentum Bohemorum, sed quo commodius peregrinæ Germanis infestæ nationes ab aditu & transitu arcerentur, & sui, periculosis præsertim hisce temporibus, ab incursionibus, direptionibus, cumprimis à Catholicorum insidiis & machinationibus, qui modo ad Euangelicorum interitum intenti sint, conscriptas fuisse. Et quæ id genus similia omnib. in locis ad nauseam quoque, tam oretenus, quam famosis diuolgatis libellis, concionata, clamata, cantata, cum tædio repetita, & quasi vniuerso terrarum Orbi inculcari persuaderique voluerunt.

Equidem commemoratæ istæ causæ omnibus & singulis speciosum quemdam fucum faciunt, & istiusmodi fucati prætextus apud sui simplices facile adstipulationem correspondentiamque sortiuntur.

Ast ex supra commemorata impetrata Pragensi victoria omnium istarum fucatarum externarum hactenus factarum recapitulatarumque prætensionum plane contrarium ostenditur.

Ad primum enim Vnionis speciosum prætextum quod attinet (. quasi ista Vnio modo ad Confœderatorum Protestantium Ordinum propriam necessariam defensionem, contra Catholicorum clandestina consilia & machinationes, non vero ad vllius hominis offensionem, instituta fiet.) Vniti ad hodiernum vsque diem nulla habent Originalia, quis videlicet, & vbi contra Augustanæ

Con-

Confessionis Ordines, vel alias vnumquemque, istiusmodi consilia fuerint inita.

Sed in specialibus hærentes generalibus quibusdam (. id Catholicorum intentionem esse.) tam oralibus, quam scripto compræhensis impositionibus, famosisque libellis (qui aliquandiu Norimbergæ, Heydelbergæ, Pragæ &c. noctu excogitati fuerunt.) toti mundo imponere volunt: cum tamen nulla fundamentali proba intentioni & obiectioni suæ fidem faciant.

Equidem iam olim quoq; Catholici istiusmodi impositionib. (. initarum Confœderationum Consiliorumque contra Protestantes Ordines.) onerati fuerunt, quorum quidam, vtpote OTTO PACKIVS, GEORGII Saxoniæ Ducis Cancellarius, mercedem suam promeritam reportarunt: Potioribus vero figmenta sua sufficienter refutata sunt. In hodiernum vsque diem quoque Landspergensis, aliæque Confœderationes earumdemue laudabiles intentiones notæ sunt: vbi etiam præcipuis quibusdam Augustanæ Confessionis Ordinibus, si forsitan ad sua conseruanda cum Catholicis S. R. Imperii Statibus Confœderationes inierunt, vel contra inobedientem quemdam Protestantem Ordinem exequutionem sibi demandari passi sunt, nequicquam condonatum fuit: cuius rei gratia excusationes siue Apologetica OTTONIS Cardinalis & Episcopi Augustani, de An. M. D. L VI. Item Ciuitatis Norimbergensis contra Albrechtum iuniorem, Marchionem Brandenburgensem de Anno M. D. LII. & M. D. LIII. & porro AVGVSTI Electoris Saxoniæ, laudatissimæ memoriæ, ob susceptam exequutionem Vrbis Gothæ, de An. M. D. LXVII. publicis typis excusa, atque etiamnum hodie in promptu sunt.

Verum enimuero Correspondentium Vnionis capita in eo, quod contra Catholicam defensionem nullo fundamento prætendunt, cum sæpius commemoratis propriis in Secreta Anhaltina Cancellaria repertis litteris Originalibus, instructionibus, relationibus, autographis & conceptis conuincuntur: & quidem quod toties dicta ista Vnio, eiusdemque Confœderati simul, quamprimum Anno C. M. DC. IIX. ista Vnio instituta fuisset, istiusmodi consilia inchoauerint, & Aschusii, post stabilitam ipsorum Vnionem, eodem Anno in XXX. menses: Anno Christi M. DC. IX. Anno Christi M. DC. X. M. DC. XI. M. DC. XII. singulis Annis XV. menses: An. Christi M. DC. XIII. M. DC. XV. M. DC. XVI. & M. DC. IIIXX. singulis Annis X. menses. A. C. M. DC. XIV.

Iul. A.C. M.DC. IIXX. adhuc xxx. menses: Porro C. fidem concernentes menses: & Anno C. M.DC.XIX.L. menses consenserint, & maiori ex parte quisque quotam suam persoluerit, vt eo commodius oblata occasione in effectum deduceretur id, quod Generales multo nunc tempore sibi ante proposuerant: quemadmodum ipsi, Confœderati siue Vniti, motus istos Bohemicos suæ intentioni inseruientes arripuerunt: siquidem vltra omnem suam comportatam præparationem mox M. Iulio (antequam vllus etiam Catholicus Ordo, immo ipse Romanorum Imperator MATTHIAS laudatissimæ memoriæ, ad propriam sui ipsius defensionem, vt iam periclitantis tum temporis regni sui conseruationem taceamus, vnicum etiam virum conscripsisse:) apud Confœderatis bene notum magnum principem, diuersimodis consiliis, causis impulsiuis & motiuis summo studio institerunt, vt aliquot militum millia, numero XV. M. ipsis mitterentur, quib. *in Alsatiam incursio fieri, & Prouincia ad Electorem Palatinum hæreditario transferri: immo Oceanus cum Adriatico mari coniungi, atque eo fine aditus versus Tyrolem & Italiam aperiri debeant.* Ex quibus colligitur, quod mox ab initio, iuxta Mansfeldii, & CHRISTIANI Anhaltini Principis, Originales in promptu præsentes litteras Anhaltinus, vna cum IOACHIMO-ERNESTO, Marchione Brandenburgico, & Comite Mansfeldio, commemoratos xv. M. viros apud sibi notum Principem per litteras petierit: antequam autem istæ litteræ appulissent, Princeps ille N. N. *Electori Palatino, Vnionis Capiti & Generali, II. militum M. suis sumptibus alenda sua sponte obtulit, quibus pro suo lubitu vti posset: attamen hæc nulli alii, quam Christiano Principi Anhaltino, & Electori Palatino, & Marchioni Brandeburgensi Ioachimo Ernesto, reuelentur.*

Quamprimum autem hæcce Offerta ad Vnionis Generalem Vicarium, Ioachimo-Ernestum Marchionem Brandenburgensem, per Comitem Mansfeldium delata fuissent, illico, Brandeburgensis, Vnionis Generali, Electori Palatino, idipsum, sub dato xxxi. Iulii An. C.M.DC.IIXX. per litteras significauit, in quibus simul istarum litterarum, quas ex parte Vnionis capita, vtpote Anhaltinus, Elector Palatinus, & Marchio Brandeburgensis ad N. perscripserant, obiter mentionem facit, atque ea ipsa de causa firmam spem concipit, plenarium xv. virorum M. numerum eo facilius completum iri, quum commemorata ista offerta, ante insinuationem suarum ad N. litterarum, præmissa fuerint; *iam*, vti perhibetur in litteris, *in Electoris Palatini,*

tamquam

tamquam Generalis, potestate situm esse, quid nimirum Mansfeldio (qui tum August.
temporis IV. militum M. Sacramento nondum absoluta, in promptu habuit) in- A.C.MD
iuncturus fiet: alias, pergit Brandeburgicus, duo militum millia in suis ditionibus C. IIXX.
in promptu esse, & stipendia sua præstolari, quæ paucorum dierum spacio haberi possint: Electorem Palatinum quoq; hac occasione, & Bohemicis (NB.) sub tumultibus, vtiliter sibi prospecturum, & Bohemorum affectionem lucraturum, quemadmodum etiam Bohemi istiusmodi succursibus maxumopere indigebunt.

Pari modo & aliæ Originales ad CHRISTIANVM Principem Anhaltinum literæ, sub dato 21. Iulij A. C. MDC. IIXX. testantur, quod, ad cōmemorata ista offerta, infallibilis fiducia concepta fuerit, quin non dumtaxat fortior ista resolutio (XV. militū M.) apud N.N. verum etiam apud Ser. Rempub. N. impetrari possit: Sin autem ista consequuta fuerit: *tum Vnionis naviculam (verba litterarum formalia) in maris altum ducere posse, & illud ipsum, ad idoneam resolutionem impetrandam, idoneum esse medium.*

Qualis autem ista VNIONIS nauigatio marina fiet, & quo ista idonea resolutio potissimum directa fuerit, id Generalis Anhaltini legatus, Ioachimo-Ernestus Marchio Brandeburgicus rotunde declarat, dum paucas post septimanas ita scribit: *Sin nunc, ope atq; auxilio confœderatis probe noti Domini, istiusmodi insignis armatura atque adsistentia impetrari posset, tum ipsam necessitatem requisituram, quod in Episcopatu Herbipolensi* RENDEVOVS (hostilis incursio) *instituatur* (tum temporis neque iste Episcopatus, neque alius quispiam Catholicus militem conscripserat) *Ne a. apud N. res ita intelligi videatur, quasi VNIO solummodo peregrinorum exterorumque Principum ope atque auxilio inniti, sibi ipsi vero in proprio parcere velit: iccirco, nomine Vnionis, eo sese declarandum esse, quasi toties commemorata ista Vnio Bohemis* (quo tempore Romanorum Imperator MATTHIAS, nūc felicissimæ memoriæ atque recordationis) *clanculum* (verba formalia) *peccunia, munitione, atque armis auxilio subuenturam.* NB. NB.

Porro quoque apparet ex memoriali, quod Vnionis capita, Anhaltinus, Onolczbachicus, & Elector Palatinus Legato suo versus N. tradiderant, eidemque sollicite iniunxerant, vt nimirum de maiori succursu siue adsistentia (XIV. vel XV. militum M.) apud N. instaret, atq; inter alia expresse proponeret: *Hoc pacto Oceanum cum Adriatico* mari con-
„ iungi posse. Quamuis quoque adeo grandis armatura, ad componen-
„ dos motus, ab iisdem ue dependentia: Item (si res ad interregnum vel
„ Vicariatum deueniat) ad Imperij conseruationem, eiusdem ve graua-

Augu. A. minum ſublationem, ſpectare debeat: nihilominus tamen ferme im-
C.MDC. poſſibile futurum, quod, iuxta tantam Vnionis armaturam, non et-
IIxx. iam Eccleſiaſtici pati neceſſum habuerint: idque non dumtaxat pro-
" pterea, quod videlicet Vnioni malecupiant, verum etiam quod indies
" Prouincias populosque ſuos magis magisque augeant: tum etiam
" quod proteſtantium Ordinum ſubditi difficillime tam prægrandem
" copiarum militarium numerum ſuſtentaturi ſint: attamen ea mode-
" ratione atque dexteritate Legatus vtatur, quaſi, dum hæc apud N.
" proponat, non dumtaxat Catholici Ordines, verum etiam ipſa
" Romano-Catholica Religio penitus in Germania extirpanda eſ-
" ſet.

Equidem abs re non eſt, quod de hoc clandeſtino conſilio & præmeditata Vnione, non omnibus, immo multis ex Vnionis correſpondentibus ſiue confœderatis nihil apertum, ſed & Bohemis ipſis ab initio occultatum fuerit, à quo videlicet iſte ſuccurſus eiuſdemve ſubſidium (modo quod Elector Palatinus in omnium ore circumlatus fuerit) proprie dimanaſſet: quemadmodum etiam, dum, viuente etiamnum Imperatore MATTHIA, maior iſta armatura ſollicitaretur, nemo de clandeſtina iſta machinatione, tribus præcipuis Vnionis Ordinibus, Anhaltino, Onoltzbachico, & Electore Palatino exceptis, quicquam reſciuit. Quoniam autem impoſterum compertum eſt, quod abſque Marchione Badenſi (cuius ditiones ad inuadendam Alſatiam peropportunæ videntur) res in effectum deduci nequeat, itaque is, tamquam qui iam ante Vnioni iſti bene cupiebat & fauebat, in ſocietatem iſtam quoque pellectus, ciuitatibus vero, vti & duci Würtenbergico, peculiaribus de cauſis (quarum Camerarius in ſuis ad Principem Anhaltinum Cypheris exaratis litteris, mentionem facit) illud omnino tectum, & vſque ad aliud commodius tempus reiectum fuit: ſi enim mox ab initio alij Ordines de machinatione iſta quicquam reſciuiſſent, capita iſta metuerunt, illam (machinationem) non per omnia adprobatam iri.

Pro cauſſa impulſiua ſiue motiua vero, quur videlicet Vnio ex parte non in puris defenſionis terminis conſiſtere, ſed nunc offenſiue, ſiue id fiat data, vel non data occaſione, contra Catholicos procedere, & eo fine ſupra ſæpiusque nunc commemorata peregrina exteraque auxilia requirere debuerit, id in fideli conſideratione quadam Generalis Anhaltini Legati, Marchionis Onoltzbachici, iu-

xta

xta Principem Anhaltinum, ad Electorem Palatinum exarata, sub dato XIII. August. A. C. MDC. IIXX. hac ratione indigetatur: Quoniam nunc res in Germania eo deuenerit quod omnes tractationes (vulgo libellationes) frustra suscipiantur, & Patriæ salus dumtaxat IN ARMIS & eorumdem felici indutu, NB. vsuque consistat, cumprimis hodierno tempore vbi cum nuda saltim VNIONE parum sane, vel omnino nihil possit effici, &, ob Ordinum lenitatem & mansuetudinem, male amplius procedatur. Augu. A. C. MDC. IIXX.

Ast mirandum est mehercule, quod VNIONIS TRIVMVIRI, Anhaltinus, Onoltzbachicus, & Elector Palatinus, coram omnibus & singulis prætendere non sient veriti, quasi ista grandis præparatio bellica ad nudam dumtaxat defensionem & nullius hominis offensionem, neque in Bohemorum emolumentum, suscepta fuerit: ast pręterea sciendum est, Triumuiros istos cæteros quoque suos confœderatos mox ab initio seduxisse, ijsdemq; glaucoma obiecisse: in fideli enim ista commemorata consideratione eiusdem dati XIII. Aug. sic concluditur: Etiamsi illa II. militum M. quæ N. N. per Mansfeldium Electori Palatino obtulit eiusdem Domini Principalis sumptibus, in emolumentum & succursum Bohemiæ Ordinum (tacite) hactenus sustentata alimentataq; fuerint: nihilominus tamen cæteris Ordinibus eius rei origo, & cuius sumptibus militareis istæ copiæ alantur, minime communicari debet, sed dicendum esse, id sua sponte fieri, & simul sperandum cæteros quoque in Vnionis conuentu idem adprobaturos: id enim (inquit ista cōsideratio) ad maiorem effectum singularem suam commoditatem consequuturum. Sin vero res ad maiorem armaturam deueniat, tum Electori Palatino ante omnia persuadendum, vt sese negotio (condottæ vulgo) in persona propria immisceat: proposita siquidem media ad sæpius nunc dictam maiorem armaturam ita comparata esse, quod, si ante aliquot annos haberi potuissent, homines reperti fuerint, qui Hispaniarum Regem in suo nido visitare (vt iam eiusdem domus inuasionem in Germania taceamus) & inter alia ad minimum vniuersalem pacificationem Belgicam impedire vel detinere conati fuissent.

An non autem hoc fiet cum suo proximo, non dumtaxat cum Catholicis, sed etiam plane cum confœderatis suis sociis (quibus clandestina ista consilia mox ab initio minime reuelata fuerunt) sub pileolo, vti veteri habetur in prouerbio, lusitare, & in Vnionis recessibus Treues.

August. A.C.M. DC.IIXX. cessibus aliud statuere, econtra vero, VNIONIS *nomine*, alibi aliud tractare, & ad effectum perducere: de eo interessentes VNIONIS Ordines ipsimet, qui, ita seducti, numeratam suam pecuniam, munitionē, annonam, copias militareis, aliumq; apparatum bellicum sub alio praetextu comportarunt, iudicent.

Pari modo omnibus & singulis ex Anhaltini Principis vlterioribus adpositis, & suo legato, pro sollicitanda extra Germaniam maiori XV. militum M. armatura, communicatis peculiaribus notabilibus & ista conclusio manifestissime liquet, nimirum:

» I. ante omnia non contemnendam peccuniae summam comparan-
» dam: & tum Elector Palatinus, arrepta corona Bohemica, in caeteris
» (ad Episcopatus quod attinet) aequalem praedam aequaliter diui-
» dat.

» II. Elector Palatinus Generalis constituatur, cui duo generales Lega
» ti adiungantur, idq; hoc modo: sin videlicet generalis Legatus ab Rhe
» no in Orientalem Franciam (cōtra Herbipolim, Bambergam & Aich-
» stadium) moueret tum à Franconiae: econtra si Franconiae generalis
» Legatus ad Rhenum (contra Spiram, Argentinam, vel Moguntiam)
» se conferret, tunc à Rhenano generali Legato commendare-
» tur.

Vbi praeterea probe quoque considerandum est, quomodo cum eo (Electorem Palatinum videlicet de Bohemica intemperie, vsque ad electionem, ne quicquam resciuisse, seipsum siquidem, neque confoederatos isti negotio sese immiscuisse) conueniat, cum tamen trium uiri isti, mox à praecipitatione Pragensi è fenestris, coronam arripere adprobauerint.

Sub hoc specioso primo praetextu, quomodo nimirum Spiritus Caluinisticus non solummodo Catholicos, verum etiam proprios suos confoederatos socios seducere studuerit, multa particularia adhuc allegari possent: quum vero alibi de ijsdem faciunda mentio, illa etiam iam suo loco non immerito rellinquuntur.

Ad alterum Vnitorum praetextum quod attinet (quod protestantium VNIO non contra Romano-Caesaream M. tamquam S. Rom. Imperij supremum caput aliquid molita, vel eo fine instituta fuerit) de grauissimis minis, rigidis & aspero stylo formatis epistolis, minacibus legationibus, &c. tempore RVDOLPHI II. ad negotij administrationem factis iam nulla fiet mentio: sed dumtaxat paucis commemorabitur,

rabitur, quid nimirum per ista VNIONIS capita contra MAT- THIAM & FERDINANDVM, ambos Romanorum Imperatores, tam in quam extra Germaniæ limites, proximis tribus annis, non dumtaxat nude tractatum, verum etiam reipsa, ipsoque facto, ad effectum deductum fuerit. Et sane illud ipsum ex sæpius nunc commemorata legatione, communicata instructione, datisque memorialibus ad Dominum NN. per Anhaltinum, & Onoltzbachicum expresse videre est, quum articulus Bohemicæ Coronæ, pro Electore Palatino sollicitandæ, interueniat, & in adnexo memoriali, (quod anno integro ante Bohemicam electionem, nimirum XIII. August. A. C. MDC. IIXX. factum) porro Legato iniunctum fuerit: quod videlicet noto Vnioni Principi certo affirmare debeat, " omnia Principalis instructionis contenta (quæ sub nominibus Mar- " chionis Onoltzbachici & Anhaltini Principis compræhensa fuerunt) " bono consensu & voluntate Electoris Palatini facta esse, quodque ex " tra istius Principis intentionem nulla melior inuenienda fiet, quam vt " armatura, in instructione commemorata, quamprimum progressum " suum sortiatur, cumprimis si, NB. *ad impetrationem Coronæ Bohemicæ pro* " *Electore Palatino suscipiatur*; etiamsi modo iam dictus Elector Palatinus " (notetur fucus) pro innata sua modestia eamdem (coronam) non tan " topere expetat: quod tamen Bohemiæ Ordines maxumopere vrge- " ant, & FERDINANDI causa (ex hisce colligere est, quam lubenter isti " homines intemperiem Bohemicam accommodatam vidissent) non " exiguæ dumtaxat difficultates in promptu fient. Cum itaque Elector " Palatinus, ope atq; auxilio istius Domini N. Coronam istam adipisci " posset, nullum tum esse dubium, ipsum, Electorem, notum auxiliato- " rem, pro summo benefactore habiturum, &, tanto magis eidem Do- " mino obligatum; ad recompensationem eo insigniora media nactu- " rum, quoniam hoc ipso facto in Electorali Collegio duorum votorū " compos fieret; & Brandeburgici voti iam ante compos factus fiet, quū " septemuir Brandeburgensis totus ab Electore Palatino dependeat: fir " mam quoq; præterea spem atq; fiduciam concipi votum Treuirense " Palatino voto sese coniuncturum confœderatis Hollandiæ Ordini- " bus, & magno Britannicarum Insularum Rege mediantibus. "

Augusti. A.C.M. DC.IIXX.

Hisce & similibus istiusmodi clandestinis consiliis atque machinationibus Vniti minime adquieuerunt, sed toties nunc commemoratus Elector Palatinus II. militum Mansfeldicorum M. spretis Cęsareis publicatis litteris Patentibus, ipso facto contra MATTHIAM Impera-

Sept. A. C.MDC. IIXX. torem in Bohemiam misit, verum etiam iuxta repertum Originale, sub dato IIIXX. Aug. A.C. MDC. IIXX. summo studio mandauit, quod videlicet CHRISTIANVS Princeps Anhaltinus Compagnias IV. mi-
„ litum M. commodissime complere, in Bohemiam dirigere, ibidem ar-
„ mare, &c, non expectata vlteriori resolutione noti Principis, Mansfel-
„ dius (nisi in missione siue legatione ad N. vna cũ Barone Christofero à
„ Dona forsitan impediatur) in persona propria progredi debeat, vt ita
„ Bohemis in tempore succurratur, & per minimam etiam auxiliorum
„ remoram ipsis ad formidinẽ siue pusillanimitatẽ nulla detur occasio.

Sub hoc articulo beniuolus Lector, immo omneis & singuli, V-nitorum cõfœderatorumq; intentionem ex Volrati à Plessen, Electoralis Palatini intimi Consiliarij, ad Anhaltinum exarata epistola, sub dato 11. Sept. A.C. MDC. IIXX. porro perpendant, dum mox ab initio
„ scribit, Bohemiæ Ordinum, Confœderatorum Protestantium in Ger
„ mania, vnitarumq; Prouinciarum Belgicarum prætensiones omneis
„ vno fundamento niti exinde ipsum (Plesseum) omneisq; suos confœ-
„ deratos socios ex animo optare, vt Bohemiæ Ordinibus, in manuten-
„ tione suæ prætensionis, res prospere feliciterque succedat.
„ In eadem ista Plessei epistola vlterior fit mẽtio, sin videlicet res,
„ ob Mansfeldio concreditas militareis copias, ipsiq; demandatũ impe
„ rium, quemadmodũ & cum noto isto Domino suscepta tractatio for-
„ sitan palam fiant: quod tum Onolizbachicus & Princeps Anhaltinus
„ mature satis sua cõsilia eo conferrent, quid nimirũ Cęsareanis, Electo
„ ri Moguntino, & Duci Bauariæ respondendum fiet: verendum enim
„ esse si res ijs in locis detegerentur, diuersimodas tum quæstiones ori-
„ turas, & apud multos scandalum parituras.

Sin igitur prætensio Stadensium, qui multis nunc ab annis cõtra regem suum rebellarunt, propositum Bohemorum, qui tum tẽporis, Plesseio hæc scribente, simile conati sunt, & intentio Vnionis, quæ cũ Stadẽsibus & Bohemis certo modo confœderationẽ inijt, vno funda mento (contra Austriam) nituntur: exinde sequitur ꝙ toties nũc dicta Vnio pari modo contra legitimũ electum Romanorum Imperatorem suum insurgere, dominatũ & relligionem suam Caluinisticam, cũ oppressione alterius, dilatare, contra Cæsaream S. M. & omneis S. Rom. Imperij fideles obsequentesq; Catholicos ordines, ipsis (Vnitis) vicinos, aliquid moliri conentur, & conati sint: cumprimis quod Plesseius secreta Vnionis, cum Hollandis, Bohemię Ordinibus, Turcico Vasallo, rebellibus Hungaris (apud quos Legationis munus obijt) Duce Bo-ullionæo in Occidentali Francia, & cum Corona Anglicana susce-

ptas tractationes tam exacte perspectas cognitasque habeat. Septem.

Vt autem nunc ad Cæsaream S. M. FERDINANDVM II. redeamus, A. C. MDC
multa sane heic repetenda essent, quæ, sub durante Electione Mœno- IIXX.
Francfurtensi, ad impediendā electionem istam acciderunt: de quib. alias: nunc dumtaxat nos ad interceptas litteras referimus, ipsiusq; Electoris manifestum, in quo à Bohemiæ Ordinibus nullam prætensam electionem iustificare nititur, & expresse asseuerat, quasi sub durante " tractatione electionis Mœnofrancfurti omnia præcipitata, Bohemiæ " Ordines (tum tempore Sessionem & votum Bohemiæ S. Ro. Imperij " feudatarij regis impedire molientes) non auditi, atq; ita ad istam nouā " electionem incitati fuerint, cum tamen Vnionis istius capiti (Electori Palatino) regnum Bohemiæ impetrandum curæ cordiq; fuerit, cuius cogitationes deinceps non amplius adeo occultari potuerunt, dum, durante adhuc correspondentium Ordinum conuentu Norimbergico, argentei numi cum hac numeralium litterarum inscriptione:

FrIDerICVs reX roMAnVs. A. C. MD

FrIDerICVs IMperator aVgVstVs. CXXII.

sese conspiciundos præbuerunt. A. C. MD

Similiter & noti istius Principis Legatus, postquam Electorales CXXIII.
Palatini delegati Cæsaris FERDINANDI electionem non impedire potuissent, cum CHRISTIANO Principe Anhaltino, originali memoriali teste, in tertio puncto tractauit, inquiens: Cum nunc electio in FERDINANDI personam inclinauerit: iccirco Electores, Principes, alijque S. " Rom. Imperij Ordines, ad minus Homagium & solemne iuramentū " non præstare deberent: ad quæ Princeps Anhaltinus manu sua propria " consignauit; *tempus, quid facto opus fiet, demonstraturum.*

In IV. articulo idem ille legatus (cum quo Princeps Anhaltinus iam ante de multis arduis difficilimisq; negotiis tractauerat) petit: ne videlicet cum FERDINANDO (postquam etiam iam Romanam coronā adeptus fuisset) vlla pax, vel tractatio constituatur, *absque præscitu atque consensu Domini sui Principalis* (cum quo, viuente etiamnum Romanorum Imperatore MATTHIA, magnæ armaturæ præparationisq; bellicæ caussa, tractatio habita fuerat) hac adnexa appendice: sin forsitan " cum Cæsare FERDINANDO transigendum esset, quod tum ante omnia " Dominus suus Principalis in mediatorem & pacis arbitrum constitue " retur: id quod Anhaltinus propria sua manu subscribendo adpro- " bauit: Immo idem ille Legatus, sub nono sui memorialis puncto, petere, & de eo cum Anhaltino Principe tractare minime erubuit: An

Sept. A. C. MDC. IIXX. non instantibus S. Rom. Imperij Comitiis, vel aliis conuentibus, res eo deduci possit, quod Vniti siue confœderati ad aliam, & quidem i-stiusmodi electionem Romanorum Regis, cogitarent, sub quo Rei-
NB. " publicæ de quiete atq; pace omnino & idonee caueri queat.

Parimodo & ipse Princeps Anhaltinus ad toties nunc commemo-
" ratum Dominum, sub dato IIXX. Septembris A. C. MDC. XIX. scri-
" psit: FERDINANDVM quidem Mœno-Francfurti in Romanorum Re-
" gem futurumq; Imperatorem, vti illud in toto ferme terrarum Orbe
" sit notorium, esse electum: ast Francofurto nondum discessisse, quam
" uis cottidie illinc iterum discedere debeat, non quidem Viennam ver
" sus, (cum ibi nusquam tutus esset) sed in Styriam versus Græciam. Exi-
" stumare vero Electorem Palatinum, nouum Bohemiæ electū Regem,
" multas adhuc difficultates, residentiæ causa, exorituras, & FERDINAN
" DVM ægre Græciæ permansurum, imprimis quum in Hungaria (probe
" igitur heic notādum quid videlicet Septemuir Palatinus iam dudum
" cum Gabriele Betlehemo tractauerit) omnia ad periculosos motus
" spectent: eo fine Hungaricos Legatos apud se (Anhaltinum) fuisse si-
" biq; omnes circumstantias istius regni fideliter exposuisse: ex quibus
" colligatur, quam egregia, scilicet, electio in Germania suscepta, quod-
" que leuis, NB. exiguiq; valoris & effectus futura siet.

Similiter idem Princeps Anhaltinus, sub dato IIXX. & XXVIII. Septembris eodem Anno, ad contrarium suum erga electum Roma-
" norum Imperatorem animum testādum, in memoriali suo, eidem N.
" N. legato significat: sese toties nunc dictum Principem certiorem red
" diturum, an, & quales Principes Ferdinando, Mœnofrancfurtensis
" electionis caussa, gratulentur, & acceptionem feudi sollicitent, vel an
" sub hisce forsitan impedimentum aliquod (quod quidem Anhalti-
" nus lubenter promouisset) appareat.

Ad tertium prætextum quod attinet, an non etiam Vniti siue confœderati contra Romanum Imperium eiusdemve constitutiones diuersimoda moliti fuerint, & ita non, quemadmodum prætendunt, eiusdem auctoritatem existumationemq;, sed multo potius proprium suū emolumentum sibi curę cordiq; esse sollicite admodum passi fuerint, id sæpius nunc allegatæ litteræ, clādestina detecta consilia, & Tractatus in ipsa rei veritate satis superq; testantur, dum Vniti Triumuiri Romano-Bohemici regni, cū noto Principe tractarunt & decreuerūt, an videlicet illi non tertiū Vicariatum attribuere, & ita eo ipso domui Austriacæ media sua defensionalia nō dūtaxat in Germania subtrahe-

re, ve-

re verum etiam hoc ipso facto, eamdē(.domum Austriacam.)omneis- Septemb.
que Catholicos Ordines in peregrinas diuersiones turbasque præci- An. C. M.
pitare possent: quem in finem peculiares discursus typis publicati sunt DC. IIXX.
atque adeo in ipso Heydelbergensi Archiuo singulari industria inquisitum fuit, num videlicet distincti Vicariatus in: & extra S. Rom. Imperii limites reperiri possent: Quoniam autem de isto Vicariatu, qui tantopere inuestigatus fuit, plane nihil, immo, quemadmodum magnus aulæ Magister Heydelbergensis, Albrechtus Comes Solmensis, sub dato IIXX. Decembris A. C. M. DC. IIXX. scribit de Electorali Vicariatu Palatino non absque singulari miro tam parum repertum fuerit: itaque nihilominus, ad modo dictæ intentionis confirmationem, peculiaris quædam Historica deductio scripto compræhensa, & Principi Anhaltino (.qui, durante Vicariatu, in persona propria sese extra Imperii limites contulerat.) tradita fuit: qui mox cum Balthasaro Neuw, qui antea apud N. fuerat, contra S. Rom. Imperii Constitutiones, multa, & inter alia hoc per expressum machinatus est; an videlicet NB
„ Bohemica & Romana Corona non ad sæpius citatum Principem N.
„ N. hac cum conditione transferri, & vicissim Elector Palatinus non ad
„ Coronam Hungaricam, Alsatiam, & partem anteriorum Austriaca-
„ rum Prouinciarum hæreditario promoueri posset.

Antequam autem Princeps Anhaltinus isti itineri sese commisisset, alia adhuc legatio profectionem istam antecessit, cui Comes Mansfeldius summo cum Imperio præfectus est: vbi II. die Februarij An. C. M. DC. XIX. idem modo commemoratum euentualiter tamdem
„ eo decretum fuit: nempe quod Vnionis Directores N. N. ad Bohemi-
„ cam Romanamque Coronam promouere debeant: tum enim N. in-
„ terpositione suæ fidei media & militareis copias adquisiturum, eidem-
„ que Electori Palatino ad Coronam Hungariæ, & occupationem su-
„ pe: inferiorisq; Alsatiæ, & partem Austriacarum Prouinciarum opem
„ auxiliumque laturum, atque vel ex suo ærario, vel alio mediante, se-
„ miunam Ducatorum millionem annuatim, & subsidium pro IV. pedi-
„ tum M. & DC. equitibus, sub imperio Comitis Mansfeldii, subministra-
„ turum, illudque per integrum triennium continuaturum.

In quodam postscripto, sub dato IIIX. Februarii Anni comme-
„ morati M. DC. XIX. porro ista quoque particularia recensentur: Ad bel-
„ lum Hungaricum N. N. summo teneri desiderio, & inter alia ab ipso
„ auditum esse: sin aliquid contra sacrificos exequendum fiet, quod id

Nouem. mature satis fieri debeat, antequam perueniat in Imperium, quo me-
A. C. M. lius sese coram N. excusare queat. Onoltzbachico enim & Anhaltino
DC. IIXX. summis belli præfectis sperandum esse, quod hoc ipso medio Elector
„ Palatinus non dumtaxat potentior fieri, verum etiam Onoltzbachi
„ Prouincia amplior reddi possit.

NB. Ast quomodo Onoltzbachicus Prouinciam suam absque Bamberga, Herbipoli, viciniisque suis ampliare poterit? Equidem Norimberga quoq; sub consideratione esse potuisset, ne Burggrauiatus (Norimbergicus.) nudum dumtaxat nomen esset.

Quæ Christophorus à Dona in Principali sua relatione, de dato 11. Nouembris Anno Christi M. DC. IIXX. (propter Cæsareatus translationem, Bohemorum succursum, amicitiam Correspondentiamque cum exteris regibus & Principib. alendam; Item quod Vniti siue confœderati armamentaria sua melius instruere, tres IV. militum M. stipendia persoluere, ad maiorem armaturam vires suas conferre, Occidentalis Francia, Confœderatæ Prouinciæ Belgicæ, & Venetianorum Respublica parti exercitus solutionem præstare debeant &c.) maioribus consideratione dignissimis circumstantiis introduxit, ea omnia, peculiarib. quibusdam de causis, heic sicco pede præterimus, & ad suum quæque tempus reiecta sunto.

Ast hoc neutiquam silentio prætereundum quod Anhaltinus, Onoltzbachicus, & Elector Palatinus, de hac Baronis à Dona relatione in peculiari quodam Creilshemii celebrato conuentu decreuerunt: nimirum quod Comiti Mansfeldio noua ad N. legatio demandata fuerit, in qua potissimum inter alia tractaret: quod nimirum tria
„ capita in medium allata consilia magni æstumarent, &, ad eorumdem
„ exequutionem Electorem Palatinum negotium in Anglia, & apud
„ Confœderatas Belgicas Prouincias, sollicitaturum, & recommenda-
„ turum: verum metuendum esse, quod non solummodo ad id multum
„ temporis requiratur, verum etiam euulgari posset: illud ipsum namq;
„ negotium ab Imperio dependere, & ab Imperio promoueri necessum
„ habeat: itaq; summa arcana ad id requiri, & quod ante omnia ad præ-
„ uentionem spectarier oporteat, cui totum opus incumbat, & extra il-
„ lam (iuxta arcana præuentionem subintellige.) cætera omnia frustra
„ tentari: quod in causa fiet, vt hæc singulis Vnionis Ordinib. non com-
„ municentur, sed Electorem Palatinum, tamquam Vnionis caput, &
„ paucos dūtaxat ex præcipuis sese coniuncturos, & negotii istius molē

expe-

expeditionēq; in humeros suos suscepturos: Hisce & similib. de causis N. exorandum esse, vt nimirum, modo commemoratis caussis probe perpensis, hac idonea occasione commodissime non contemnenda sane pecuniæ summa erogetur, eo modo, quem Baro à Dona iam ante proposuisset. Nouem. A. C. M. DC. IIXX.

Sin forsitan etiam N N. sese excusaret, admoneri ipsum per N. posse, quod multis nunc ab annis tam exoptata occasio, pecuniam nēpe ad sui emolumentum vsurpandam, incidisset, quam ista Bohemorum defectio quū hostis, ipsiusq; domus, nō dumtaxat eneruatus fiet, sed etiam ab NN. omnino diuertatur: iam, iam .n. domus Austriacæ consilia infringi oporteat &c. cum vice versa, sin magna ista armatura & grandis præparatio bellica in effectum deduceretur, & aliquandiu continuaretur, tum aditum inter Germaniam & N. aperiri, & denique NN. magnum emolumentū adipisci posset, cum qualibet vrgente necessitate ipsis hoc pacto succurratur. In summa hoc vnicū esse medium quo Correspondentiæ, intelligentiæ, & Confœderationes inter Angliā, Confœderatas Prouincias Belgicas, Vnitos, & N. N. decretæ atq; cōclusæ recte stabilirentur, extra quas nunquā ad destinatum scopum perueniri posse. Sin vero N. existimaret illā pecuniæ summam cuius Baro à Dona nuperrime meminisset, nimis magnā esse: iccirco rogandum vt N. cū N. N. de dimidia parte impetranda, tractaret, quodq; ista contributio, per tres, ad minus vero per duos dumtaxat an. persolueretur: altera summæ istius pars inter Vnitos Confœderatosq; Ord. in Germania colligenda foret, eoq; potissimum serio adlaborādum, quo pacto videlicet summo studio maiores subinde vires procurari possent: pari modo adsistentia, in q̄ N. & Confœderatæ Prouinciæ Belgicæ cū Vnitis reciproce cōsensissent, ad hoc negotiū pertrahenda: qꝫ, si recte consideretur, istiusmodi foret importātiæ, cuius gratia sane nullæ difficultates prætendendæ, sed multo potius extraordinarie aliquid cōtribuendū esset, modo vt, ad tā insignis operis ꝓmotionē, vires nō deficiant.

Iuxta illud minime negligendum, quod sub finem commemoratorum istorum articulorum, in quibus potissumum instructio pro Mansfeldio Comite consistebat, in XII. art. tantum depræhendatur, quod in Anglia quoq; A. C. M. DC. IIXX. ob motus istos Bohemicos, ad parlamentum & præcipuos quidem consiliarios quod attinet, res ita fulcitæ fuerint, vt etiam illi cum consiliis & resolutionib. suis, ex parte pro Electore Palatino datis, plerumque concordauerint.

Item

Decemb. An.C M. DC.IIXX. Item sub articulo XIII. quod in legatione in Saxoniam mittenda, (.quam N. expedire, & Serenissimam ipsius Celsitud. nomine Dominorum suorum Principalium, ad Neutralitatem commouere voluit.) probe obseruetur, & iis in locis, quod nimirum Consiliarii Cæsareani sient, nullam mentionem faciat, cumprimis de auxilio Mansfeldico in Bohemorum emolumentum ab Electore Palatino deputato: Et denique Liga quoque minime prætereunda esset, quam N. residens in N.N.N. proposuisset.

Quo commodius & citius autem alia quoque requisita auxilia per istos Triumviros, Electorem Palatinum, Principem Anhaltinum, & Onoltzbachicum videlicet, obtineri posset, icirco in peculiari memoriali Comiti Mansfeldio, tamquam Legato, iniunxerunt, vt nimirum apud N. proponeret, non dumtaxat quot quantasque vires malecontenti Bohemi in promptu, verum etiam quot quantasque ab Vnione, & aliis Austriacis Bohemicæ Coronæ nullo modo incorporatis Ordinibus expectandas haberent, quibus sese aduersus Cæsarem MATTHIAM satis superque tueri possent: siquidem Bohemiæ Ordines X. peditum, & equitum IV. millibus: Silesia II peditum, & M.D. equitib. exceptis Marchionis Iegerndorffii militaribus copiis: Mansfeldius IV. peditum M. & D. equitibus: Superiorem Austriam IV. peditum, & DCCC. equitibus stipendia persoluere: Lusatiam Bohemis itidem auxilia missuram, Morauiam vero ad eosdem Bohemos inclinare, & ab Cæsare defectionem meditari: Viennam impedituram quod Cæsar nulla tormenta neque aliam munitionem bellicam exinde auehere possit: Vnitos siue Confœderatos Principes & Ordines Bohemis fauere, qui omneis ferme ab Vnione dependeant, nec cum Cęsare transactionē vel compositionē inituros absque præscitu sæpius nunc dictæ Vnionis, Angliæ, N.N. & Hollandiæ: Similiter & Anseaticas ciuitates eosdem Bohemos fauore prosequi, & ob id ipsarum sperari auxilia: Romanorum Imperatorem hocce tempore omnes suas vires in Bohemia habere, omnem militis lectionem tam in Bohemia, quam S.R. Imperio, & extra illud ipsi prohiberi; vice versa Bohemis ad mi-

NB. NB. litarium copiarum conscriptionem vbiq; patere: gubernationē (*.probe heic obseruetur quam astute omnia fuerint disposita.*) in eorum consistere manibus qui intentioni isti tam bene cuperent: Ordines munitione & annona abundare, Euangelicorum Heluetiorum Confœderatorum, cumprimis Grysonum, opem auxiliumq; implorare quo melius hosti transi-

transitus & militarium copiarum conscriptiones prohibeantur. Decemb.

Cumque eo ipso tempore, id quod circa finem A.C.M.DC.IIXX. An.C.M. DC.IIXX. factum, vires Mansfeldicæ vrbisque Pilsensis occupatio tantum sane effecerint, quod Bohemiæ Ordines cumd Mansfeldium summum rei tormentariæ præfectum creauerint, & mox per peculiarem legatū Electori Palatino effectiue ipsoque facto obtulerint: negotium, quid NB. NB. nimirum istis Bohemiæ delegatis respondendum foret, in consultationem deliberationemque tractum fuit: quo facto sequentes considerationes fuerunt in medium propositæ, nimirum oblata Bohemorum, Electori Palatino facta, ita comparata esse quod ad eadem certa resolutio, fiducia in DEVM & in actionibus constantia requiratur: nullum sane esse dubium, quod mox ab initio horrendæ tempestates & grauissima impedimenta incidere possint, cum regnum non mediocriter labefactatum, & re ipsa non à potentissimis hactenus in medio-xuma pparatione cōsistere, ære alieno grauiter obpressum & ab inferiore Palatinatu & residentia longe dissitum esse, Saxonē nullum bonum vicinum cuius offensiones non leues Ligæ, & Regis Hispaniarū vero multo grauiores esse. Quocirca Electori Palatino suadendum vt potissimum eo spectet, quod legitime (. id est per speciosum prætextum.) vocetur, quodque incorporatæ Prouinciæ cum Corona Bohemica (. heic beniuolus lector videt vnde tam multifariæ Prouinciarum Confœderationes suam traxerint originem.) correspondeant, & tum paullo ante commemoratis difficultatibus & impedimentis obuiam iri posse; contra Hispanum peregrina imploranda auxilia: hocce tempore Palatinum nihil adhuc tentare posse, vocem enim vnius, & nullum periculum in mora esse: Ordines ante Cæsaris obitum (NB. NB.) sese minime declaraturos, & tum demum præparationem posse institui. Hanc Bohemorum intentionem Electorem Palatinum magno Britannicarum Insularum Regi, & Principi Mauritio notam facere & Baronem à Dona, quo citius, eo melius, iterum in Bohemiam mittere posse: Vigilandum, & Baro, à Dona, prætendere necessum habeat, quod nimirum Elector Palatinus ante omnia legitimam Bohemorum vocationem desideret: Item: explorandos esse an petitus exercitus (heic iterum videre est quam serio isti homines ob exortos Bohemorum motus doluerint, de quo in XII. specioso prætextu fit mentio, & quod in XIII. mox subsequitur, quasi Vnionis Generalis nihil aliud optauerit, quam quod ista intemperies mature satis, absq; ulterio-

Decemb. A.C.M. DC. IIXX. vlterioribus circumstantiis inter ambas Cæsareas M. M. earumdemq; malecontentos subditos, in ipsis q. cinerib. sepeliri potuerit.) cum expendendis sumptib. intelligatur (.h.e. an Elector Palatinus exercitum subministrare, & Bohemi stipendia persoluere debeant, vel an militareis copiæ & sumptus simul ab Electore requirantur. Item, quomodo incorporatæ Prouinciæ opus illud intuituræ sient, ex parte Palatini securitatem coniecturis præualituram: alias Palatinum neminem contra suam conscientiam cogere velle: & præmissa tamdem magna propositione, Bohemiæ negotium tum melius successurum.

Vt autem magna ista propositio (.in qua iuxta Elect. Palatini intentionem, Bohemici negotii successus potissimum fundatur.) eo facilius obtineatur: itaq; Marchio Onoltzbachicus, & Christian. Princeps Anhalt. sub dato XII. Dec. A C. M. DC. IIXX. Electori Palatino suaserunt: quoniam, iuxta omnia indicia, ad maiorem armaturam nō leuis sane spes cōcepta siet: iccirco non abs re futurum si Elect. Palat. manu sua propria per Mansfeldium N. significaret, & iuxta simile vniuersale officium, & eo potissimum casu (.sin videlicet ad maiorem armaturam sumptus erogaret, vel aliunde acquireret.) in genere mentionem faceret, q. accepta gratiarum actione istud officium ipso facto & realiter recompensandum foret, &, bona sub fiducia, in arcano tamen, (.futuræ electionis ad Romanum Imperium.) N. admoneretur: Ipsis sane minime competere, vt in altioribus, Electorali Collegio incumbentib. & reseruatis, de plurib. mentionem faciant: ast considerata Hispanorum, eorumdemue domus corruptione, sancte sese affirmare posse, sin' N. N. istiusmodi publica præstaret officia, & particulare cum Bohemia (.subintellige Mansfeldicarum copiarum stipendia.) imposterum quoq; continuaretur, & adhęc libertas relligionis, eiusdemue requisita, ipsius ope in quietum statū reduci posset: tum in persona N. minus quam in alio quouis subiecto errari posse, peculiari præmissa consideratione, cum S.R. Imperio nullum maius officium & emolumentum præstari posset, quam si illud iterum fortem quemdam &c. adepturum esset: iccirco illud pro singulari à DEO TER OPTVMO MAXVMO peculiariter immissa occasione habendum, & nullo modo cum ingratitudine negligendum esse.

Exinde expresse sequitur, cum Imperium & regna, pro suo lubitu (per Vnitos.) ita transferri voluerint, quod quartus, quintus, & sextus speciosus prætextus, (in quibus prætendebatur quod Vnionis intentio

tentio vnicè & ſolum ad cõſeruationem Cæſareæ Maieſtatis auctori- Decem.
tatis, officii, honoris&reputationis &c. Item, ad conſeruandam A. C. M.
proſperitatem incolumitatemque Sacri Roman. Imperii, non DC.IIXX.
vero ad Germanicæ libertatis derogationem ſpectauerit.) merus ac putus fucus fumuſque fuerit, quo externa dumtaxat ſpecie hominibus, atque adeo vniuerſo mundo, glaucoma obiectum eſt: interne vero ad iſtam metam collimarunt (. Vniti.) quo melius Cæſaream auctoritatem, viuente etiamnum Cæſare Matthia, & ipſos Catholicos Ord. opprimerent, ac ita generalem quamdam in S.R. Imperio commotionem, modo res in Bohemia, Hungaria, & Prouinciis Hungaricis proſpere ſucceſſiſſet, excitarent, quod inter alia in arcana tractatione Miſſæ cuidam communicatum, & quomodo papicolæ ſenſim notis in locis obrui poſſint, notum manifeſtumq; eſt: cuius quoq; in Comitis Solmenſis, magni aulæ Magiſtri Heydelbergenſis epiſtola, ſub dato XXIV. Nouembris Anno Chriſti M. DC. IIXX. ad Chriſtianum Principem Anhaltinum fit mentio, illo ipſo tempore, quo idem ille Comes, vna cũ Doctore Camerario, à Creislheymenſi Cõuentu, domum " reuerſus eſt: quod videlicet, penes alios decretos articulos, Legatio in " Angliam eo potiſſimum directa ſiet, quo melius in magni Inſula- " rum Britannicarum Regis intentione adquieſci poſſit: quod ſane E- " lectoris Palatini conſiliis magnam lucem adferre poſſet: aſt duos præ- " cipuos articulos miſſionem Legati aliquandiu adhuc in ſuſpenſo rel- " licturos, priuſquam finalis detur reſolutio quę in Anglia locum reper- " tura ſiet: Electorem Palatinum totum eſſe confuſum, grauiſſimis hiſ- " ce ex cauſis, vti facile quis poſſit colligere, nihilominus tamen DEVM " TER OPTVMVM MAXVMVM, in negotio iſtiuſmodi importantiæ, ad " ſuperandas omneis difficultates certam viam præmonſtraturum &c. " Et paullò poſt circa finem epiſtolæ; Anglicanum N. alimentatum le- " gatum per Ioachimum Erneſtum iuniorem Principem Holſatiæ ali- " quid proponi curaſſe, exinde metuendum eſſe, ne forſitan modo iam " commemorato Principi Holſatiæ aliquid reuelatum fuerit, quo my- " ſterium Miſſæ ante tempus diuolgari queat, iccirco huic negotio ma- " ture maturum applicandum remedium.

Altera epiſtola, (in qua de myſterio Miſſæ fit mentio, ex quibus latius quoq; colligitur, quid nimirũ per illud ſecretum, inter illos, qui iſtius Cabalæ nõ ignari fuerunt, intelligi debuerit) intimi Secretarii Onolzbachici, Balthaſaris Neuwen, qui poſtea N. N. fictitio nomine Bernard de Nomar epiſtolæ ſub dato Norimbergæ XIV. Decembris,

Decemb. An. C. M. DC. IIXX. Anno Christi M. DC. IIXX. subscripsit, probe perpendenda est; in illa siquidem modo commemoratus Neuw. siue Nomarus, alicuius Confœderationis meminit, quæ inter N. & N. N. offensiue, & defensiue inita fuerit: Circa finem quoque sequentia ponit verba formalia: bo-
„ nam instructionem in promptu esse, quod pari modo iis in locis cum
„ Stadensibus tractatio suscipi, & papicolæ sensim notis in locis (. quæ
„ procul dubio missa & eius fundatores sunt.) obprimi possent.

Equidem paulo ante commemorata iunioris Principis Holsatiæ cum Anglicano legato conuersatio postmodum melius declarata & interpretata fuit dum Baro à Dona, sub dato XXIV. Nouemb. A. C.
„ M. DC. IIXX. sollicite ad Principem Anhaltinum scribit: *In sua* instru-
„ ctione versus N. iam serio laborari; interim Ioachimo-Ernestũ Ducē
„ Holsatiæ ab N. N. Heydelbergam venisse, & operam suam ad Bohe-
„ miæ bellum pollicitum esse, litteras quoque ab N. Ligam inter N. N.
„ & Vnionem concernentes, secum attulisse, & quod vtriusque partis
„ constituti delegati iter suum ita instituere debeant, vt vno die ad de-
„ putatum locum (. quo facilius omneis ob præcedentia suspiciones eui-
„ tentur.) simul peruenire possint: cui, vti adpareat, dilatoriam respon-
„ sionem daturam autumant: qua accepta iterum versus N. N. ipsum
„ profecturum, &, vti prætendat, per Ambergam profecturum.

Sub eodem dato commemoratarum Albrechti Comitis Solmensis, & Christophori Baronis à Dona binarum litterarum, alia reperitur epistola, quam ipse Elector Palatinus ad Principem Anhaltinum exarauit, & in qua Comitis Solmensis & Camerarii tractationem Crailsheimensem adprobauit, eidemque, Anhaltino, Considerationes quasdam tramittit, quæ Consiliariis suis sub instructione Mansfeldica incidissent: quę tamen ipsi, Anhaltino, liberæ rellinquãtur, an in expediunda ista instructione perpendi debeant, nec ne: Hisce simul litteræ ad residentem legatum N. Correspondentiam Vnionis cum illa Repub. concernentes insertæ erant; de sæpius autem nũc commemorato Missæ mysterio, quoniam cum præcedentibus, quæ ipsi hactenus concredita siue communicata fuerant, tam indiscrete egerat, ipsi prorsus nihil amplius detegebatur, sed vice versa Comiti Mansfeldio committebatur, quemadmodum illud ex epistola Comitis Solmensis, sub Dato Heydelbergæ IIXX. Decembris An. C. M. DC. IIXX. apparet: quod nimirum si versus N. N. venturus esset, de sua tum Commissione & expeditione (. quæ ipsi de Romana Corona, extero Principi

Principi N. si, ipsius ope, maior armatura impetretur, deferenda, de- Decemb.
mandata erat) supra commemorato N. nihil prorsus detegeret, sed nu- A. C. MDC
de dumtaxat ipsi significet: sese, ex parte Palatini, habere in mandatis, IIXX.
vt nimirum Bohemiæ Ordinum petitioni (quæ tum temporis in libe- "
ra assistentia, vel, si ista obtineri non posset, in concessione consiste- "
bat) gratificaretur: relliquas particularitates vero sæpius nunc dictum "
N. omnino celasse, immo, pro instructione, ob Ligam vel Vnionem à "
Duce Holsatiæ Electori propositam nullam cum ipso tractationem su- "
scepisse. eius rei causa isto in loco recensetur: *ne forsitan negotium reuele-* "
tur: & quoniam alias hoc medium, ab N. in medium allatum, alteri quod Comiti Mansfeldio expediundum iniunctum erat, aliquod impedimentum adferre posset, cum tamen nulla alia difficultas, ob alterum legatum Anglicanum NN. N. residentem in promptu, & sæpius nunc commemoratus Comes Solmensis expresse fateatur, ipsum omnium de Missa Secretorum esse participem.

Et sane clandestinum illud consilium, quod illo in loco contra peculiares aliquot Catholicos Electores, Principes & Ordines agitatum, & sub mysterio Missæ, quod pauci dumtaxat scire debuerunt, occultatum fuit, specioso sub prætextu VI. & IIX. eo torqueri voluit, quasi apud cæteros Vnionis Ordines (quibus mysterium istud abscon ditum fuit, & de eo in effectu minime participare, sed solummodo sumptus & pecuniam erogare debuerunt) ita intelligi debuerit, tamquam omnia ad conseruationem Euangelicæ à Catholicis obpressæ relligionis, contra Pontificium, Hispanicum iugum, peregrinum dominatum atq; seruitutem spectauerint.

Ast ex alia quadam eiusdem intimi Consiliarij Palatini Albrechti Comitis Solmensis ad Principem Anhaltinum, sub dato XXV. Dece. A. C. MDC. IIXX. exarata epistola multo aliud apparet, & inter alia plane contrarium eorum, quæ articulo IIIX. commemorantur, quasi ex parte Directorum & Vnionis pax iterum propagari omneisque sub reptæ diffidentiæ quamprimum tolli debuerint.

Ex commemorata siquidem Solmensis epistola manifestissime apparet, quod maxumopere solliciti atque adeo veriti fuerint Bohemicam intemperiem, ope, consilio atque auxilio Serenissimi Domini Electoris Saxoniæ, aliorumque ad Germanicæ libertatis conseruationem longe melius adfectorum, atque peregrini dominatus vel seruitutis neutiquam cupidorum Ordinum, forsitan citius iri composi-

Decemb. A.C.MDC IIXX. tam, priusquam inchoata sua clandestina cõsilia penitus absoluissent. Et porro (inquit idem ille Comes) se libenter vidisse quod Elector Palatinus magis ad speciem (subintellige ob futuram electionem N. in Romanorum Regem) sese resoluisset, quo melius toties nunc cõmemoratus N. ad bonam præparationem incitatus fuisset: ast Electorem Palatinum mox ab initio non per litteras mentem suam aperire voluisse, sed oretenus dumtaxat Comiti Mansfeldio iniunxisse, quod nimirum ex parte Septemuiri Palatini N. promitteret, oblata occasione (viuebat enim adhuc tum temporis Cæsar Matthias) nihil, quod ad incrementum honoris, bonorum, dignitatis, existumationis, atque auctoritatis pertinere videretur, intermissum iri. In eadem quoq; epistola Styrumbici equitatus fit mentio, quod nimirum ille nõ seorsim, sed coniũctim per Electoratum Palatinum proficisci voluerit, quod sane factum magnam famam excitaturum fiet: melius itaq; fuisse, si diuiso modo (vt ipsius rei fundamentum eo minus animaduerteretur) perrexisset: Cum etiam Serenissimus Saxoniæ Elector interpositionis caussa (ECCE quantopere isti homines pacis propagationẽ exoptauerint) sese ad Bauariæ Ducem referat, metuendum esse, eumdem, Bauarum, tamdem negotio isti sese immixturum, & Palatinum tum temporis eo grauius passurum: Reuerendissimum Electorem Moguntinum inter duas aquas natare, & de certa resolutione esse dubium: attamen Ciuitatem Norimbergam ad conuentum destinare, malle tamen vt interea de securitate idonee sibi caueretur: iccirco apud Electorem Palatinũ protestatum esse, quamdiu videlicet Ecclesiastici in quieto pacificoq; statu rellinquantur: tum ipsi nihil periculi metuendum.

Eadem illa intentio, quod nimirum ipsis nihil aliud obstiterit, quam si interpositionis negotium progressum suum sortiretur, etiam ex alia Christophori Baronis à Dona epistola manifesto liquet, paullo antequam in N. ablegaretur, sub dato V. Decembris A.C.MDC.IIXX. vbi inter alia commemoratur, quod is (Baro à Dona) Principis Anhaltini litteras, vna cum insertis copiis, Electori Palatino prælegerit, qui æstumet res in Bohemia prospere succedere, quodq; pax (videat nunc pacificus Lector quantopere isti homines ad propagandam pacem intenti sient) non tam cito promoueri posset.

Idem illud (Electorem Palatinum vel eiusdem intimos consiliarios non pacem, sed eius turbationem in Bohemia sectatos fuisse) etiam ex supra commemorati Electoralis Palatini intimi Consiliarij, Plessei videlicet, epistola, sub dato XI. Septemb. A.C.MDC.IIXX. liquet,

quet, in qua Principi Anhaltino considerationes suas detegit, quomo Decemb.
do nimirum Bohemi hisce sub motibus sese gerere debeant: idque in A.C.MDC
lingua Gallica, sequentis fermetenoris: Nullum equidem esse dubiũ IIXX.
Bohemos vires suas, iam congregatas, bene ac vtiliter vsurpaturos: at-
tamen non ab s re fore si easdem Cæsareanæ armaturæ obponerent, at NB. NB.
que ita eiusdem progressum impedirent: eo ipso enim non solummo-
do regnum, sed etiam eiusdem reditus, amici, & victualia ad suam ipsi-
us commoditatem conseruari, & deniq; ipsæ Ordinum diuisiones im-
pediri possent; si enim hostis (ita isti homines Cæsareæ S.M. militareis
copias nuncupant, & quidem eo ipso tempore, quo sese pro interpo-
nentibus negotio im̃iscuerunt) media Prouincias peruagandi nactus
fuerit, multos tum, Ordinibus iam adhærentes, sese ab ijsdem segrega
turos, hostem vero omnia Ordinum media nacturum, & Ordines pes-
sumdaturum: isto siquidem modo Ducem Albanum Paulum III. Gal-
licas copias in Italia, & postmodum Principem Auraicum in Belgio,
licet viribus longe superiorem, debellasse: eumdem, Albanum, quoq;
non Neapoli, Gandaui, Bruxellis, vel Antuerpiæ permansisse, sed ho-
sti in Italiam ad Frontonem fl. in Belgio autem ad Mosam vsq; obuiam NB.
processisse: id nunc ad ipsos Bohemos applicandum, ipsisq; persuaden
dum esse vt in fronte limitum hosti occurrant: magnum aulę Palatinæ
Magistrum, Comitem Solmensem, dũ Pragę fuerit, prætendere, quod
Bohemiæ Ordinum capita diuersæ opinionis fuerint, atque hostem in
Bohemiæ Metropoli, Pragæ nimirum, præstolari velint: sin autem il-
lud faciant, verendum esse ne regnum amittant, & solos muros sibi
relliquos reseruent. Itaque rei consultum iri, si Princeps Anhaltinus se- NB. NB.
ipsum illuc conferat, & apud eosdem omnia prudenter constituat, id-
que non dumtaxat armaturæ, verum etiam munitionis caussa, ne vide
licet, defectu boni salutarisq; consilij, forsitan obprimantur. Denique
si res ad suspensionem armorum deueniat, probe tum consideradũm
esse, quod durantibus induciis Cæsareani in castris vel diuersoriis suis
manere cogantur, nec ipsis permittatur vt equitando in regni vrbes
vel Pagos subditorum fidem sollicitent & ad defectionem incitent:
Nam ista cautela in omnibus bellis ciuilibus perquam fiet necessaria, NB. NB.
eoque ipso modo Ducis Parmensis insidias in Belgio fuisse præuentas.
Sin autem Bohemi ista non obseruauerint, metuendum esse quod, ad
finem properantibus induciis, ipsisque autumantibus sese ad hosti
resistendum (heic iterum videre est, quod tantum sub specioso
prætextu armorum suspensionem quæsierint Vniti) satis instructos
esse,

Decemb. esse, multi ex Ordinibus defecturi, ad hostem transituri, atque ita sub
A.C.MDC ipso induciarum medio pacem suam facturi sient, exinde non dumta-
IXX. xat Ordinibus, sed etiam cumprimis ipsis Directoribus, atq; adeo præ
„ cipuis capitibus magnum periculum creari possit: alias sane verendum
NB. esse Cęsarem nihilominus, etiamsi Bohemi arma non deposuerint, pa-
„ cis tractationi subscripturum, quam Cæsareani per istiusmodi compo
„ sitionem vel transactionem plus, quam per vim & violentiam, sese ob
„ tenturos confidant: Monendos attamen esse Ordines ne tam idoneã
„ occasionem sibi è manibus extorqueri patiantur, sed vires suas bene
„ collocent: sin enim, viceversa. obprimantur, nullam tum eius rei cauſ-
„ sam Electori Palatino imputandam, neq; eo ipso sese excusare posse,
„ quod nimirum absq; præscitu eiusdem Septemuiri Palatini nihil fe-
„ cerint.

Quo melius autem omnibus & singulis cognitum manifestumque fiat, quod videlicet Catholici à Spiritu Caluinistico in IX. X. & XI. articulis male accusati fuerint, & quod Vnionis capita multo magis omnia sua consilia & actiones in perniciem & obpressionẽ Catholicę relligionis, bonorumque Ecclesiasticorum occupationem contulerint, cumprimis vero quod ipse etiam Elector Palatinus (contra illud quod sub XII. XIII. & XIV. quod vulgo toties adeo inculcatum fuit) ob intemperiem istam Bohemicam neutiquam doluerit, sed etiam ipsi numquam curæ cordiq; fuerit, vt commemorata ista Bohemica seditio, ex qua postmodum tantæ calamitates atq; miseriæ exortæ sunt, pacifice componeretur: immo quod ipsi veritati manifestissime & è diametro quasi repugnet, tamquam Directores, licet contrarium XV. articulo affirmetur, ad confusionem intẽperiemq; istam Bohemicam nullam caussam occasionemq; dederint: iccirco aliquot documenta heic ordine recensebo, quæ omnia irrefutabilibus Originalibus refutari, imò legenti & probe perpendenti ista (Originalia) horrorem comæq; arrectionem incutere queant, cumprimis si summo studio consideret q̃ inhoneste, minus germane, & falso prorsus Electoris Palatini Consiliarij (è quorum numero Christianus Princeps Anhaltinus Choragus & Primipilus fuit) consiliis suis hominibus imposuerint, dum vltimo adeo in excessu peccarunt, quod, licet de specialibus ab vno, ad alterũ tempus in calamo hærentibus nulli ferme constiterit, nihilominus tamen ipse effectus aliud demonstrauit, & omne illud, quod in genere tam oretenus quam commutatis scriptis suis diuerso tempore publicarunt, iusto tempore detexit.

Exempli gratia in genere prætenderunt, quod Catholici primum Decemb. arma arripuiſſent, & hoc modo aduerſæ parti ad idem faciundum anſam occaſionemq; præbuiſſent, cum tamen ex ordine cõmemoratis deductionibus, quæ hactenus ab A.C.MDC.IIXX. geſta ſunt, ſatis ſuperq; cõſtet Directores Vnionis non tm̃ ſua ſponte hinc inde exterorũ Principum ad maiorem armaturam impetrandam, opem auxiliumq; implorasse, antequam Catholici vnicum etiam militem cõſcripſerint, verum etiam quod toties commemorata Vnionis capita ipſo facto copias Mansfeldicas in Bohemiam miſerint: imo quod, antequã Mansfeldius ad ſubmittẽdum ſeſe Electori Palatino, mandatum accepiſſet, Marchio Onoltzbachicus (iuxta ſupra cõmemoratam ad Electorem Palatinum, ſub dato XXXI. Iulij A.C. MDC. IIXX. exaratã epiſtolam) vltra II. militum M. exſpectantibus ſumptus ſubminiſtrauerit: vt iam ſicco pede prætereatur, quid ſupra dictæ magni aulæ Palatinæ Magiſtri litteræ de equitatu Styrumbico detexerint. A.C.MDC IIXX.

Hiſce omnibus vero nunc minime conſideratis, ex aduerſa parte tanta ſane impudentia apparet, quod mox Anno II. poſtquam A.C. MDC. XIX. militum Lectiones primum reuelatæ, & tum prius Catholici ad propriam ſuiipſius defenſionem aliquid moliti eſſent, ipſi, Catholici, ea ipſa de cauſſa ab Vnitis ludibrio habiti fuerint, dum directorũ vnus, Ioachimo-Erneſtus Marchio Brandeburgicus videlicet, ſub dato IIX. Febr. A.C.MDC.IIXX. ad ſæpius nunc commemoratũ Principem Anhaltinum inter alia ſcribit: Eccleſiaſtici, iuxta hinc inde allata noua, admodum Martiales ſeſe oſtendere incipiunt: vndiq; bellum bellum perſonare: in effectu rem eo inclinare, quod ex mera formidine (quam candide ergo affirmant Catholicos metuendos fuiſſe, cum tamen ipſimet Proteſtantium Vnionem metuerint) ijdem Eccleſiaſtici Cæſari auxilium laturi ſint: ignorari tamen adhuc, num Imperator adhuc viuat, necne: Bohemiæ Ordines heſterna luce (ſubintellige VII. Februarij A.C.M.DC.XIX.) commiſſiones & patentes litteras pro Comite Henrico-Guilielmo hinc inde miſiſſe quod, tamquam ipſorum Capitaneus D. equites conſcribere debeat, adeo vt omnia ſenſim ad bellum inclinent: quocirca Principi Anhaltino eo citius reditum maturandum, quum ipſius præſentia (quemadmodum effectus poſtmodum ſatis ſuperq; teſtatus eſt) ad plenariam rei expeditionem (rebellionem) maxumopere requiratur.

Octiduo poſt modo commemoratus Vnionis Director, ſub dato XIV. Feb. A.C.MDC.XIX. ſcribit: ſeſe ab N. litteras ſingularis cuiuſ- Febr. A. C. MDC. XIX.

Febr. A. C. MDC XIX. dam importantiæ obtinuiſſe, quas viæ non tuto committere audeat, eius rei tamen Electorem Palatinum certiorem redditurum, negotiũ ſiquidem bonam citamque reſolutionem requirere, &c. Si etiam vlla „ vmquam occaſio veredario opus habuerit, hanc ipſam illam eſſe: iam „ enim (vt multa paucis compræhendantur) media in promptu haberi „ (heic iterum liquido apparet quid videlicet ipſis defuerit, nihil enim

NB. „ periculi ipſis ab Eccleſiaſticis metuendum vmquam fuit, ſed mediis „ dumtaxat caruerunt) quibus vniuerſus terrarum orbis ſurſum deor- „ ſumque ferri poſſit.

Qualia autem media, euertendi totius mundi, fuerint, & quo arcana iſta iam decipherata epiſtola, quæ itineri non tuto committi potuit, ſpectauerit, notandum eſt, quod ſupra commemoratus Comiti Mansfeldio adiunctus Onoltzbachicus Secretarius, ſub dato xxv. Ia- „ nuarij A. C. MDC. XIX. inter alia commemorauerit: ſeſe, *Neuw* vel

NB. Nomarum, Comiti Mansfeldio propoſuiſſe, vt nimirum Alſatia Ele- „ ctori Palatino, &, vice verſa, N. corona Bohemica deſtinaretur, quod „ ſane modo, & nunc ſæpius commemorato Palatino Septemuiro, quũ „ hæreditariæ iſtæ ſient Prouinciæ, multo melius vtiliusq; foret, conſide- „ rando N. iam eſſe decrepitũ, adeo vt poſtmodum ad iſtius coronæ ſuc- „ ceſſionem, ex parte Palatini, per recommendationem, denominatio- „ nem, vel alia iſtiuſmodi matura fulcra, nihilominus & facile apud Bo- „ hemos perueniri poſſit.

Paullo poſt alia quædam epiſtola ab eodem Secretario, ſub dato IIX. Feb. A. C. MDC. XIX. ſubſequuta eſt, in qua, Nomarus, inter alia „ meminit: N. nobilem quemdam cum Comite Mansfeldio Heydelber- „ gam verſus miſſurum, qui ſcripto compræhenſam reſolutionem Ele- „ ctori Palatino ipſemet traditurus eſſet: Vice verſa Elector peculiari ſcri- „ pto ſeſe obligaret, vt N. vna cum voto Brandeburgico (cui poſtmodũ „ Saxonicum votum conditionaliter, iuxta peculiares quaſdam litteras, „ ſub dato IIXX. Martij A. C. MDCXIX. acceſſit) vocem ſuam ad impetrã- „ dam Romanam coronam largiri, & prȩterea coronam Bohemicam ꝑ „ ſæpius nunc citato N. effectiue procurare velit: & tum N. obligatum „ fore, vt Electori Palatino Alſatiam cõiunctis viribus, &, ſi fieri poſſet, „ partem Auſtriacarum Prouinciarum occupare iuuaret, atq; præterea „ ad belli cõtinuationem DCCI. florenorum M. annuatim ex ſuo ærario „ erogaturus, & pro virili apud NN. eo laboraturus eſſet, vt totidem & „ ille numerare non grauaretur, & deniq; corona Hungarica quoq; ei- „ dem Electori Palatino cederet. Quamprimum vero iſta epiſtola ad generalem Vnionis Legatum, Marchionem Onoltzbachicum, perlata,

esset, præ nimia lætitia exultãs manuale quoddam epistolium ad Principem Anhaltinum, sub dato xx. Februarij, in continenti exarauit, vbi inter alia mentionem facit: rem in bonis versari terminis; Comitem Mansfeldium siquidem non diu emansurum: interim tamen rectam, fortem egregiamq; resolutionem concipiendam: quocirca Anhaltinus absq; vlla mora properet: commodissimam resolutionem dandã, & occasionem minime prætermittendam esse, mercatorem siquidem ad nundinas proficisci necessum habere. Febr. A. C. MDC. XIX.

Quo melius autem recta, fortis, & egregia ista resolutio conciperetur, istius tractatio & nundinæ ad peculiarem quemdam secretũ cõuentum Triumuirorum, Creylshemium scil. versus, Electori Palatino propositæ fuerunt, idq; hac potissimum de caussa, quum inibi minus, quam Heydelbergæ, metuendum periculi, & exinde ab N. petita missio eo tectius in effectum deduci possit: iam quoq; (id quod viuente adhuc Cæsare Matthia factũ, ineunte nimirũ Martio A. C. MDC. XIX.) præsentatam quamdã duorum in Bohemia Generalium cõferentiam in promptu esse, quod rei conducibilius futurum, si Elector Palatinus destinatum conuentus locum ad XVI. diem Martij (ni negotiũ diutius prorogare velit) sibi gratum acceptumq; esse pateretur.

Omnibus & singulis igitur exinde manifestissime liquet quanti homines isti pacem fecerint, & econtra qualem materiam ad bellum, (nimirũ tres peculiares coronas, subintellige Romanam, Bohemicã, & Hungaricam. Item, Alsatiam, & Austriacarum Prouinciarum partẽ hæreditario ad Electorem Palatinum transferendi; Item Ecclesiasticorum inuasionem, de qua infra pluribus dicetur) non vero obpressam relligionẽ, multo minus Pontificium & Hispanicum iugum, aluerint: siquidẽ ab istiusmodi iugis ipsis nihil omnino metuendũ fuit: cumprimis quum Palatini intimi Consiliarij ex arcanis allatis nouis ad vnguẽ quasi sciuerint, ꝙ videlicet Romę & in Hispania istud bellum minime probetur, sed multo potius, (vti Plesseius, intimus Palatini Electoris Consiliarius, ipsemet in allegatis suis litteris, sub dato XI. Septembris A. C. MDCIIXX. ad Principem Palatinum fassus est) Don' Balthasarem de Zuniga in Hispania Regi & Consiliariis suis persuasisse, quod ab iactura Bohemiæ regni, Belgij, Burgundiæ, Mediolani, & Neapolis iactura dependeat: itaque Regem nullam ad aliquam compositionem occasionem intermissurum, modo Cæsar Bohemiæ regni possessionẽ iterũ adipisci posset, &c. Pari modo ad eosdẽ Consiliarios (Palatinos) Roma ꝑscriptum fuit: Sumum Pontificẽ nullo ꝑrsus ad hoc bellũ ad- NB.

Mart. A. C. MDC XIX. fectu tangi, & quod ad modicam dũtaxat contributionem præstandã vi quasi cogi oporteat: immo eo lubentius Electorem Palatinum in Bohemia passurum, vt hoc facto vires Hispanicę aliquantulum imminuantur: siquidem ipsum (Pontificem) Hispanorum potẽtiam magis vereri, quam vt metuat, Palatinum ipsum Romæ, vbi cum Prouinciis permaneat, visitaturum, vel alias Italiæ magnum detrimentum illaturum. Itaque Vnitis à Pontifice & Hispaniarum Rege ne minimum etiam periculum metuendum fuit.

Penes commemorata illa D. Camerarij ad Principem Anhaltinum, sub dato V. Martij A. C. MDCX. exarata epistola summopere perpendenda est, in qua paullo ante dicti conuentus III. Vnionis Directorum (hæc enim tum temporis Duci Würtembergico, ciuitatibus, & Diis minorum gentium minime reuelata sunt) sequentibus verbis „ mentionem facit: Quum etiam, inquit Camerarius, Elector Palatinus, „ Marchio Onoltzbachicus, & Christianus Princeps Anhaltinus prope „ diem personaliter cõuenturi sient, & tum seipsum (Camerarium) vna „ cum Solmensi Comite Electorem subsequi posse: iccirco, quæ hoc in „ loco scriptitari alias oporteat, eo vsq; dilata velit, sibi iã pręcipue sum„ministrationem sumptuum (Ecce, quod tum temporis Bohemi milite „ & peccunia subleuati fuerint) erga Bohemos curæ cordique esse, id ꝙ „ Electorem Palatinum vsq; ad Anhaltini reditum (qui cum duobus ge„neralibus tum temporis ad conferentiam in Bohemiam profecturus „ erat) prorogasse: itaq; illum, Anhaltinum, eo magis negotio sũma soler„tia satis facturum, quum res nõ amplius fiet integra: cætera Deo com„mittenda: Baronis à Dona relationem, de sua N. & Hollandica expedi„tione, & Mansfeldij Comitis reditum ad grandem arduamq; delibe„rationem materiam daturum: Deus faxit, quod non dumtaxat recta & „ salutaria consilia sub ista (deliberatione) verum etiam corda animiq; „ pro diuina gloria, libertate, & relligione impendendi, coincidant: vice „ versa etiam prudentissimos, optumos, & acutissimos (sui scilicet suiq; „ similium) discursus paruam, vel omnino nullam opem pręstare: Heroi„cas siquidem resolutiones cœlitus Magnatibus & Proceribus in cor„da infundi oporteat, &c.

NB. Quid autem in isto conuentu Creylsheimensi, ob singularem quamdam aliam ad N. legationem, cui Christianus Princeps Anhaltinus (quum de Romana, Bohemica, & Hungarica corona, non autẽ de nudo Mansfeldicarum copiarum subsidio, & earumdem auctione, actitatũ fuerit) in persona propria interfuit, decretũ, vel, vti D. Camera-

rius

riùs ait, qualia tum temporis recta (.potius tecta.) & salutaria consilia Mart.
in medium proposita fuerint, id conceptum quoddam, ipsius Palati- A. C. M.
ni Electoris manu XIX. Martii subsignatum, satis superq; testatur: An- DC. XIX.
haltinus videlicet negotiationem suam noto in loco in duo membra "
diuidat: I. ad impletionem petitorum ex parte N. (. Bohemicæ & Ro- "
manæ Coronæ ad N. delatæ.) II. ad petitionem Electoris Palatini, & "
finalem ratificationem atque certitudinem. Ad I. articulum (. Coro- "
nam Bohemicam.) quod attineret, Anhaltinus N. significet, quod iam "
dudum cum Bohemiæ Generalibus Conferentia habita siet, & quod "
Elector Palatinus magnam inclinationem (. Heic notandum est, N. i- "
psam rei veritatē quod videlicet per singularem quamdam legationē
quorumdā Bohemiæ Directorum Electori Palatino iam dudum Co-
rona Bohemica repræsentata fuerit, celatam, & hoc ipsi Electori Pa-
latino pro vltimo subsidio reseruatum fuisse.) ad personam suam re- "
periat: nihilominus tamen toties nunc commemoratum Electorem "
Palatinum omnem fauorem in N. deriuaturum, attamen omnia in eo "
consistere, quod ex parte N. proposita media realem suum effectum "
consequantur. "

Ad Romanam Coronam vero quod attinet N. syncere & can- "
dide iterum atque iterum persuadendum esse rem in terminis priori- "
bus permansuram, quod nimirum successio hæreditaria, ad præuen- "
tionem domus Austriacæ, præsertim hacce sub occasione (. ante octi- "
duum siquidem Cæsarea S. M. modo vitam cum morte commutaue- "
rat.) quodque Elector Palatinus cumprimis ad iuramentum spectare, "
& illum, qui toti Romano Imperio, ad conseruationem eiusdem liber "
tatum atque reputationis siue auctoritatis, vtilissimus futurus siet pro- "
ponere atque eligere debeat: sub quorum numero potissimum com- "
præhenduntur, qui Patriæ potiora officia ipso facto (. erogatione & "
mutuatione sumptuum ad magnæ armaturæ conscriptionem & sub- "
sidium.) præstiterint: Sperare insuper Electorem Brandenburgicum "
per certa media ad eumdem terminum inclinaturum, & istius vocis "
sese certo participem redditurum; attamen Electorem Palatinum li- "
berum votum sibi integrum reseruaturum donec res ad istiusmodi oc "
casionem perueniat. Cum autem res eadem apud Coronam Gallicam "
quoque fulcienda siet, & hic ipse Regiis Consiliariis propositus arti- "
culus (. Ergo isti quoque homines, futuræ electionis causa, etiam Oc- "
cidentalem Franciam, viuente adhuc Cæsare, sollicitarunt.) admo- "

Mart. A. C. M. DC XIX. dum frigide susceptus, & ita magis impeditus quam promotus fuerit: iccirco N. per rem eo melius vigere, & obstacula remouere debeat, quodque eadem ista Corona adprobet, vt nulla, ante pacatos motus "Bohemicos(.cur non categorice vel germanice inquiunt, antequam domus Austriaca non dumtaxat isto regno, eidemue incorporatis prouinciis, verum etiam residuo suo priuetur, de quo paulo post salutaria consilia subsequentur, quæ vndique, tempore interregni, clanculum " machinata fuerunt.) Coronatio suscipiatur, & quod Ferdinandus, " durantibus adhuc istis motibus, ad Electionis Conuentum Mœno-" Francofurtensem non vocetur ne forsitan hoc ipso confirmatio here-" ditariæ successionis Domus Austriacæ introducatur: Pari modo eam-" dem Coronam Gallicam Electorem Treuirensem ad eumd. scopum " flectere non desistat: quemadmodum ad illud iamdudum vtilia salu-" tariaque præparatoria facta fuerint.

" Ad alterum quod attinet articulum, petitum iam, vti & hactenus, " trium, vel ad minus duarum Ducatorum millionum ita perseueret, ex-" tra tamē Mansfeldicum subsidium, & inuasionem Alsaticam: quod e-" tiam ista iam modo commemorata pecuniæ summa certo quodam in " loco infallibiliter, & absque mora erogetur, absque illo medio enim " conscriptiones progressum suum sortiri nequeant: quocirca Anhalti-" nus interea sedulo inquirat, quas videlicet vires Signoria di N.N. con-" tribuere velit, & an certo iisdem inniti possit. Eodem hocce passu re-" solutio, inquit conceptum vlterius, promotio, & assecuratio (.asseu-" rance.) sedulo vrgeatur & simul protestetur, nisi hoc fiat: Bohemis tum " necessario pacis tractationem persuadendam esse: si porro cum altera " parte in Imperio, vrgente illud necessitate, accommodari oporteat, " N. tum facile æstumare posse, quantum interesse non dumtaxat sibi i-" psi, verum etiam Serenissimæ Reipubl. Venetæ detraheretur; immo " extremum periculum, cum noua domus Austriacæ & Hispaniæ forti-" ficatione, subinde adcresceret.

" Ad hoc præterea iustum subsidium I. Comitis Mansfeldii IV. pe-" ditum M. & DC. equitum, sub priorib. conditionibus, summa cum in-" dustria vrgendum: quemadmodum & non minus, II. peculiaris Alsa-" tiæ inuasio & sub ista numerus, introductio, tempus, aditus, & modus " (.an non isti homines omnia sedulo inquirunt.) prope perpendantur, " & insuper scripto compræhensa comparatio & instructio simul insti-" tuatur. Pro III. articulus continuationis quoque considerandus venit, quod

quod nimirum ista ad III. annos (. tantum temporis enim sibi homines isti tribuerunt, & fieri possit vt omnia ipsorum consilia contra Catholicos vlterius exequi potuerint.) ad Signoriam di Venetia, iuxta N. & quod sub hoc, IV. successores subintelligantur, dirigatur: quemadmodum & similiter non minus, V. inuasio ex parte Venetianorum contra Forum Iulii suscipi, & simul iste scopus ipsis inculcari debet, quo commodius præparationes istæ bellicæ in Italia alantur, & bellico isti negotio tam Pontifex Romanus, quam Rex Hispaniarum implicari posset. Et, VI. denique comparatio instituenda, quomodo id tuto Angliæ Regi & Stadensibus, siue Confœderatis Prouinciis Belgicis, proponi, & per quem prætextum, VII. vniuersum istud negotium occultari possit. Mart. An. C M. DC. XIX.

Et hæc est materia illius, quod Princeps Anhaltinus fideliter ac tuto cum N. tractare debuit, & quod postmodum in persona propria adeo tacite & occulte tractauit, vt etiam de ipsius profectione nulli ex omnibus Catholicis Electoribus, Principibus, & Ordinibus, atque forsitan paucis dumtaxat inter præcipuos Vnionis Cōfœderatos, vmquam constiterit. Ne autem quis porro videat, quo Conferentia cum duob. Bohemicis Generalibus, cui primus supradicti memorialis (. ad Bohemicam Coronam quantum attinet.) articulus innititur, directa fuerit: aliud heic conceptum commemorandum est, quod itidem Creylsheymii, sub dato xx. Martii An. C. M. DC. XIX. conditum, & pari modo propria Electoris Palatini Friderici manu subscriptum fuit, huius ferme tenoris: quod videlicet sæpius nunc dictis duobus Generalibus Bohemicis mysterium summo studio iniungi, & simul ipsis inculcari debeat, quod ex reuelatione istius negotii, interessentib. non paruum sane expectandum fiet præiudicium, iccirco manus porrectione promittant, hanc negotiationem sese nulli mortalium, ad extremum vsque vitæ suæ spiritum, detecturos. Ad hæc, si commemorato modo de clandestina ista negotiatione sufficiens præstita fuerit assecuratio, tum operæ pretium iudicatum fuit, si paullo ante dictis Generalibus Bohemicis significaretur, quid scilicet N. Anno Christi M. DC. IIXX. in Conuentu Heylbrunnensi per peculiarem Legatum tractari curauerit, & quo pacto Elector Palatinus & Vnio, commemoratum N. apud N. & Stadenses tam diu fauore prosequuti fuerint, donec Bohemica intemperies exorta fuisset: Quo melius autem iste N. sese erga Electorem Palatinum gratum iterum exhiberet, ab initio II. militū M. (. quæ

Septem-

Mart. An. C. M. DC. XIX. Septemuir Palatinus vel pro se, vel Ordinibus Bohemiæ, vel alibi vsurparet.) suis sumptibus alere promisisse: quem Succursum Palatinũ, diligenti cum Onoltzbachico, Badensi, & Anhaltino habito consilio
„ &c. in Euangelicorum Ordinum emolumentum (.iuxta IX. Septemb.
„ An. C. M. DC. IIXX. præmissum tractatum.) conuertisse: Et quoniam
„ N. numerum ad IV. peditum M. & centenos aliquot pedites complere
„ promiserit, in ipsa rei veritate certe quidem affirmari posset totum
„ Mansfeldicarum Copiarum succursum in effectu ab ipso Electore Pa-
„ latino dependere, & Bohemiæ Ordinibus transmissum fuisse, qui eti-
„ am ea ipsa de causa promeritas ipsi Electori agant gratias. Iam rem in
„ eo consistere vt Elector Palatinus non dumtaxat IV. peditum M. & D.
„ equites per æstatem absque compensatione Bohemorum, porro quo-
„ que impetrare conetur, verum etiam adhuc aliquot virorum M. vlte-
„ rius, quæ domum Austriacam & Ecclesiasticos in Alsatia (. Eia nunc
„ dolus liquet, quur nimirum tam forti armaturæ inhiatum fuerit.) inua
„ dere, & ita potentiam, Bohemiæ incumbentem, distractura & diuer-
„ sura essent: N. præterea eo inuigilaturum, vt nimirum ad minus IIX.
„ vel XM. militũ in Imperio ab Euangelicis suis sumptibus alerentur, qui
„ vel peregrinarum copiarum transitus prohiberent, vel pressæ Bohe-
„ miæ succurrerent. Denique quod, N. mediante, N. N. domum Au-
„ striacam in Foro Iulio inuadere, & Hispanorum conatibus sese forti-
„ ter, omnibusque viribus opponerent. Sin vero ista omnia non so-
„ lummodo ad istam æstatem (.subintellige A. C. M. DC. XIX. in quo pu-
„ tatitia nauci electio & abdicatio Pragæ facta.) sed ad plures annos
„ diesque, &, si res exigat, ad triennium spectare videatur, tum N. vice
„ versa hanc conditionem postulare, vt si Bohemiæ Ordines istam com-
„ moditatem vtilitatemque ipso facto depræhendant, & ipsum N. in i-
„ psorum emolumentum cum armatura sua ipsis adpropinquaturus es-
„ set, quod tum post hodiernum Cæsareæ S. M. è viuorum numero dis-
„ cessum, & quoniam Ferdinandus litteris suis reuersalibus non per o-
„ mnia satisfecerit (.heic iterum beniuolus lector videt, quis Bohemis causas impulsiuas ad putatitiam abdicationem subministrauerit.) ipsi
„ N. Coronam Bohemicam obferre & ad gratiarum actionem, eumdem
„ in Regem suum eligere possent. Ast iterum atque iterum nunc videa-
„ tur quomodo isti homines propria auctoritate perniciosa ista consilia
„ meditentur, in alterius præiudicium ipsimet præscribant, &, vt alios
„ tam audacter atq; præpostere seducere possint, noctes diesq; audeant.

Cum

Cum hisce & penes commemoratos istos articulos, Bohemicam Coronam concernentes, quo pacto videlicet Bohemiæ Ordines N. in putaticium suum regem eligere debeant, alii adhuc articuli in ante commemorato ab Electore Palatino Frederico propria manu subscripto Concepto depræhenduntur, de quib. tum temporis cum Bohemicis Generalibus tractari debuit: I. de articulo transituum. II. de tribus Imperiis Belgicis, & M. equitibus. III. de Continuatione. IV. certum Statum scripto compræhendendum, quæ & quot subsidia requirantur, quidque ex regno expectandum siet. V. de Prouinciis hæreditariis, & regno Hungariæ (. quo in loco procul omni dubio tractatio de Gabriele Betlehemo suscepta est.) VI. quæ à morte Imperatoris, ratione Ferdinandi & alias, consilia in promptu habeant. VII. quid compositionis caussa (. quam III. Vnionis Directores summopere metuerunt, ipsisque nihil magis contrarium fuit.) expectandum, & quæ consilia &c.

Mart. A. C. M. DC. XIX.

Verum enimuero Princeps Anhaltinus ad Baronem Achatium à Dona (. cui suo loco expeditionem istam demandauerat.) sub dato XXVIII. Martii A. C. M. DC. XIX. sequentia scribit: quod nimirum illud, de quo supra facta mentio, cum duobus Generalibus, sin Pragæ iam temporis commorentur, & cum Ruppa, & nemine præterea alio altissimo sub silentio tractare; ante omnia vero] eo potissimum spectare debeat, vt responsio siue resolutio in principali membro & articulo, V. die Aprilis Ambergæ esse queat; ipsum enim, Anhaltinum, profectionem suam lubenter maturaturum. Cum cæteris articulis istius memorialis, sese aliter detinere non posse, quam vt istis, pro meliori informatione vmbram dumtaxat præberet: quemadmodum etiam plenariam relationem de negotiatione ista, supra sæpius nunc cõmemoratos articulos, Electori Palatino tramittere debeat: alias particularem quamdam instructionem adhuc (. inquit Anhaltinus.) peccuniæ caussa Baroni à Dona inseruiendam & expediendam, non quidem Electoris Palatini (. videat iterum lector tecta Vnitorum consilia.) sed Principis Anhaltini nomine: extra illud aliam magni aulæ Palatinæ Magistri epistolam, subiectum concernentem, ad Comitem ab Hollach aduentare, vt Anhaltini Principis Commissionem eo facilius promoueret: cum quo (. Comite Hollacho & Ruppa.) de hoc ipsorum negotio bene communicare quiddam posset: Sin vero modo commemoratus Hollachus nõ in promptu siet, tum nemini alii, quam toties

Mart. An. C. M. DC. XIX. nunc dicto Ruppæ, negotium istud reuelari posse, cuius consilio Baro à Dona, in omnibus suis rebus vti, & quorsum resolutio referenda fiet, ab eodem, Ruppa, repetere debeat: Sin autem & idem ille Ruppa
" è Praga forsitan in castra secessisset, Baro tum propria cum Staffeta il-
" lud significaret, in castra versus se conferret inibiq; apud Generales &
" Ruppam demandatum sibi negotium tanto quidem cum silētio pro-
" poneret, ne vllius rei palesatio vel vnica temporis iactura exinde me-
" tuenda fiet: imprimis cum summum in mora metuendum periculum.

Quum itaq; sæpius nunc commemoratus Princeps Anhalt. operæ pretium esse autumarit, quod præuenire, quam preueniri multo fiet melius: ideirco ne quidpiam apud Vnionē forsitan negligeretur: itaq; Baro (.à Dona.) Pragam, Anhaltin. vero Norimbergam versus profectus est, ibiq; XXII. Martii A. C. M. DC. XIX. (.biduo post conceptum ab Electore Palatino toties commemoratum memoriale.) cum aliquot Amplissimæ Reipub. istius deputatis Senatorib. vtpote Andrea
" im Hoff/ Bohemo, & D. Oelhafio tractauit, an non forsitan angustior
" vel vniuersalis Vnionis Cōuentus haberi possit, (.minime heic consi-
" derato quod ipsis pecunia dumtaxat curæ cordiq; fuerit.) adnexa peti-
" tione, vt Norimbergenses suam hac de re intentionem Electori Pala-
" tino communicare minime grauarentur, quæ nimirum hac in caussa
" applicanda media, ne delegati cum relationib. suis in reditu apud Do-
" minos suos Principales detineātur, sed multo potius, quū de præsenti saltim periculo res nunc agatur, (.ita inquit Anhalt. in sua relatione Electori Palatino facta quid videlicet Norimbergæ effecerit, quodque
" inibi nulla specialiora mandata detexerit.) quomodo illud (.pericu-
" lū.) præueniri, & an non relliquæ citantes Ciuitates plenipotentiam
" habere possint, vt nota ista negotia eo citius & facilius expediantur.

Apud alterū memoriale, ad Principē Anhalt. directum, & ab E-
" lectore Palatino cōceptum, manu sua propria rubrica addidit: se nimi-
" rum huius memorialis substantialia multis in locis aliquāto clarius &
" expressius Domino Achatio, Baroni à Dona summa fidelitate significas-
" se, &, ad expediunda ista, Pragam versus misisse. In altera folii pagina idem ille Princeps Anhaltin. manu sua iterum duos adhuc articulos, ad adiunctū Capitalis memorialis pertinentes, addidit. I. de vrbe Pra-
" gensi. II. Electore Saxoniæ. Item melius infra, rursus cum rubrica: pun-
" ctum cum Foro Iulii non adeo manifestum esse, quam saltim ex qua-
" dam epistola ex N. sub dato IV. Ianuar. Anno Christi M. DC. XIX. vel

xxv. Decemb. Anno Christi M. DC. LIXX. itaque probe admodum perpendendum esse, quæ conditiones antecedere, vel sequi debeant: N. siquidem forsitan intelligeret quod petita eorumdemue impletionẽ prius habere debeat: ast Vnionis Directores I. continuationem impẽdendi subsidii pro IV. peditum M. & DC. equitibus pro Mansfeldio. II. inuasionem & occupationem Alsatiæ. III. Duas milliones, exceptis Mansfeldicis militaribus copiis & inuasione Alsatica. IV. Venetiani in Istriam. V. Continuationem III. annorum, prætermissa heic occupatione Alsatiæ, Hungariæ, parte Austriacarum Prouinciarum &c. Supra in altera paginæ facie hæc leguntur verba: Bohemiæ Generales declarent, FERDINANDVM ESSE INHABILLEM, &c.

Mart. A. C. M. DC. XIX.

De hisce & similib. istiusmodi consiliis Triumuiri cæteris Vnitis Ordinibus parum sane, aut omnino nihil communicarunt, quemadmodum ex supra commemorata Principis Anhaltini relatione Norimbergicæ suæ expeditionis videre est: quod nimirum supra allegata sua propositio commemorato modo vnice & solum eo directa fuerit, q. de præsenti dumtaxat periculo res agatur, & quomodo istud præcaueri possit, non vero quod de modo commemoratis notabilibus, h. e. de IV. peditum M. & DC. equitibus, sub imperio Comitis Mansfeldii, de inuasione Ecclesiasticorum in Alsatia, multo minus de duabus auri vel Ducatorum millionibus supra & extra Mansfeldicas copias, Item de inuasione Fori Iulii, coniunctione Oceani cum mari Adriatico, occupatione Coronæ Hũgaricæ pro Electore Palatino & partis Prouinciarum Austriacarum, de Bohemiæ Ordinum declaratione quod FERDINANDVS INHABILIS, de fulcimento apud Coronam Gallicam, quod durantib. motibus, idem ille FERDINANDVS ad electionis conuentum Mœno Francofurtensem non vocari debeat, de irruptione (Rendeuous.) Onolzbachicarum Copiarum militarium in Episcopatum Herbipolensem, mysterio Missæ, oblatione Bohemicæ & Romanæ Coronarũ erga N. (& q̃ id genus alia hactenus ex instructionibus, memorialibus, relationibus, Missiuis, Considerationibus, consiliis, aliisque ANHALTINÆ CANCELLARIÆ conceptis satis superq; demonstrata fuerunt.) ne minima quidem fiat mentio: quemadmodum etiam Imperiales Ciuitates dumtaxat vrgente necessitate peccuniaria requisitæ, ipsisque ingentia pericula de Hispanico iugo & extero dominatu proposita fuerunt, vt ad erogandã peccuniam eo promptiores & alacriores redderentur; quemadmodum idem illud in Anhalti-

Mart. An.C.M. DCXIX. haltina relatione manifesto liquet, quod nimirũ Norimbergicæ Reipubl. Deputatis nihil aliud communicasset, quam militarium copiarum conscriptiones Marchionis Badensis, transitum Wallensteinicorum equitum: Item, Electorem Palatinum pari modo sese resoluere necessum habuisse, aliquot equitum turmas cõscribendi, quas partim in inferiorem, partim in superiorem Palatinatum tramissurus esset: pericula enim indies adcrescere, (verba relationis formalia.) vice versa vero media præparationum, cumprimis equitatus, decrescere: pari modo ipsum Marchionem Onoltzbachicum aliquot equitum compagnias conscribere, & Ducem Würtenbergicum, ad idem faciundum, adhortatum iri. Cum quibus militum lectionibus autem ita comparatum fiet quod, cum Conuentus Vnionis non ita cito promoueri vel institui possit, quilibet suum equitatum, ad primi mensis persolutionem quod attinet, suis alat sumptibus, postea vero, si res ad futurum Vnionis Conuentum deferatur, quod tum Vniuersalibus impensis siue contributionibus res geratur, attamen collectus apparatus quoad fieri posset, non tangatur vel attrectetur, sed istæ impensæ intra XII. mensium, vel vnius anni, spacium in genere impendantur. Sub quibus Norimbergenses certiores redditi quomodo videlicet cum grandibus istis præparationibus bellicis comparatum esset, id quod ex allatis nouis ex Occidentali Francia, quæ periculosa, (scilicet.) repræsentaretur. Comiti Solmensi Frederico huius rei fidelem communicationem factam, qui hasce preparationes necessarias admodum iudicasset, & simul non abs re futurum æstumare, si, quum hocce tempore bonus idoneusque equitatus comparari nequeat, Norimbergenses cataphractorum equitum turmam conscripsissent, atque tum ipsis peculiaris, ad eorumdem vsum, locus destinatus fuisset.

Cum itaque Delegati intellexissent quod in generalibus dumtaxat negotium, tam angustioris, q̃ generalis Conuentus conuocationem quod attinet, hæserit: in de se data responsione sane obiter dumtaxat imminentis periculi, & magnarum præparationum bellicarum mentionem fecerunt: quod autem apud cæteras quoque Imperii Ciuitates res fulciri debeat, vt molestia ad referendum euitetur: non abs re fore autumarunt, vt supra commemorata communicatio de iam dudum ex parte Vnionis instituta præparatione bellica etiã cum Argentina & Vlmensibus suscipiatur: Quum vero alias Orientalis Franciæ circulis Norimbergæ v. die Aprilis conuentutus fiet, ad istiusmodi fulci-

fulcimenta non infrugiferum fore, si interea specialia & ingredientia propositioni Norimbergicæ fideliter in silentio communicarentur, vt nunc & alias dictæ vrbes suos eo melius informare possent. Mart. A. c.MDC. XIX.

Vt autem Norimbergenses videant quomodo hæc ipsorum propositio (dum ijdem deputati Norimbergici specialibus & ingredientibus inniti voluerunt, quo melius in conuentu Francico suam propositionem dirigere & formare potuissent) ab Anhaltino acceptata, & qualis communicatio ipsis facta fuerit, seipsos in epistola informare poterunt, quam modo dictus Princeps Anhaltinus, mox postridie cũ D. Oelhafio habitæ tractationis, ad Electorem Palatinum exarauit, vbi mox in exordio mentionem facit, in eo, inquit, quod hesterna luce apud Norimbergenses proposuerit & effecerit, summa solertia inquisijsse (arrige aures Pamphile) quam fortiter, & qua ratione militareis Compagniæ (Gardes) promouendæ & conscribendæ sient: existumare tamen eosdem, Norimbergenses, sese melius negotio implicaturũ adeo vt Palatinus nihil omnino vereri debeat, quod etiam aliæ vrbes (licet Norimbergicis communicaretur quam fortiter modo dictæ Compagniæ conscribendæ essent) particularia scire aueant: cum Norimberga siquidem ita comparatum esse, quod, Bohemicis motibus vicini, facile ad istiusmodi conscriptiones, ope atque consilio Frederici Comitis Solmensis, inclinare & flecti possent (Ecce quam sensim Norimberga in Casleis incidat) ad altera specialia autem quod attineret, quæ commemorati isti Norimbergenses ad propositionis suæ formationem scire desiderauerint, se, Anhaltinum, nescire, quale fundamentum isti rei substernere debeat, quum de imminenti periculo res agatur, (ita sempergeneralia vrgentur, licet ignis lateat sub cineribus) & de istius remedio & sublatione necessario mentio fieri oporteat.

Pari modo Norimbergenses, quemadmodum & aliæ quoque Imperiales ciuitates, in modo cõmemoratis vt & in alijs, sub eodem dato, Anhaltini Principis ad Marchionem Onoltzbachicum litteris, sese, tamquam in speculo, probe admodum intueri possunt: Ita enim scribit: apud Norimbergenses, DEO GRATIA, bonam optatamque sese reperire dispositionem (scilicet ad erogationem pecuniæ) excepto, quod Wallenfelsius cum propositionibus circulorum eosdem aliquantulum turbauerit, quemadmodũ autem iudicet, seipsos (Norimbergenses) sese illinc minime extricare posse; nihil amplius quoq; necessum fore, quam vt hisce sub diebus ante commemoratus Comes

Mart. A. c. MDC. XIX. Solmensis versus Norimbergam sese conferat, attamen ante circuli Francici conuentum, ipsisque (animaduertite & inuigilate, quæso, Domini Norimbergici) caput parumper melius disponat: Triplicem „ enim Romanorum expeditionem Norimbergenses illud nuncupare „ quod neque x. vel xx. mensibus perficere poterunt: ast Anhaltinum „ tantum sane deprehendere, ipsos, (Norimbergenses) facile ad „ suam atque Marchionis Onoltzbachici intentionem inclinaturos: „ porro quoque existumare Onoltzbachicum Electori Palatino de„ liberandum rellinquere debere, vt nimirum, vti Norimbergenses pro „ posuissent, generalem quemdam Vnionis conuentum indiceret, & „ quod speciales propositiones, quantum sane fieri posset, præcaueren„ tur: iuxta illud etiam mentio fieri posset, vt D. Camerarius, quo citius, „ eo melius, Dresdam versus ablegaretur, quantum enim (Anhalti„ num subintellige) intelligat, Neostadio ad Electorem Saxoniæ „ perscribendas esse litteras, cum omnimodis, Cæsareæ M. gratia, pollicitationibus & offertis, (NB. quod omnino adeo Serenissimum Dominum Electorem Saxoniæ, ad nudum dumtaxat prætextum, quasi intemperiem istam Bohemicam, in fauorem Cæsaris, accommodare voluissent, è Neostadio tentare non erubuerint) quæ „ tamen omnia ad permutatas saltim ocreas denique excurrant: (quid heic Anhaltinus cum permutatis ocreis, ad summum laudatissimi Domini Electoris Saxoniæ ludibrium atque præiudicium, innuat, facile colligitur) Equidem existumare sese, (Anhaltinum) „ conuentum ad V. vel VI. diem Aprilis progressum suum sortitu„ rum.

Verum enimuero toties nunc commemoratus Princeps Anhaltinus, tamquam totius operis anima, conferentiæ isti cum Bohemicis Generalibus personaliter interesse sibi quidem proposuerat. Quũ vero interea Vnionis conuentus ad XXIV. Maij Heylbrunnam versus indictus fuerit, cui Anhaltinus pariter interesse, & officium suum (tamquam omnis confusionis atque turbationis director Principalis) inibi perficere debuit, clandestina quoque præmeditata profectio ad N. dilata, econtra vero ipsius fidei commissa expeditio summæ consequentiæ & grauitatis fuerit: icdirco conferentia cum Bohemicis Generalibus, supra commemorato modo, ad lucrationem temporis, Achatio à Dona demandata fuit. Anhaltinus autem interea multis discursibus, scriptis, aliisque fulcimentis sese summa solertia

præmu-

præmuniuit, quæ omnia, vti ſane opinabatur, ad conſeruationem ſupra indigetatæ ſuæ intentionis (cuius particularia partim in ſua Creilsheymij impoſita inſtructione compræhenduntur, partim vero in Secretarij Neuw, vel Nomati, ex Italia factis relationibus reperiuntur) vtilia atque conducibilia eſſe poſſent. Mart. A. C. MDC. XIX.

Inter illos diſcurſus & ſcripta reperiuntur I. Extractus omnium illarum relationum, quas Secretarius iſte Neuw, vel Nomarus, vna cum Comite Mansfeldio, tum temporis in Italia negotiantibus, exindein Germaniam ad Electorem Palatinum, Marchionem Onoltzbachicum, & Principem Anhaltinum tramiſerant, quouſque nimirum duorum Ambaſſatorum, Chriſtophori à Dona, & Comitis Mansfeldij, tractatio cum N. in diſtinctis articulis progreſſa ſiet, quorum contenta ſupra bona ex parte intellecta ſunt, excepto vno puncto, cuius in commemorato Extractu fit mentio, ex Secretarij Neuw litteris, de dato IV. Mart. ſtylo nouo, nimirum: Vienna relationem quemdam ad „ locum, quo Princeps Anhaltinus iter & profectionem ſuam deſtinaſ- „ ſet, allatam eſſe, in qua inter alia mentionem fieri, quaſi in Bohemia „ pax ſancita, & ipſis multa Pontificiæ ſiue Papiſticæ relligioni aduer- „ ſantia conceſſa fuerint: quocirca N. petere, vt Onoltzbachico ſcriba- „ tur, ſin' videlicet iſtiuſmodi tractatio nondum ſuſcepta fuiſſet, vel ta- „ men adhuc ſuſcipienda eſſet, quod iſta omnibus modis impediatur, „ omneq; ad bellum auxilium ipſis promitteretur, modo vt illud impo „ ſterum continuaretur. „ I.

Item, ſub dato ex N. N. IIXX. & XXVIII Martij, paullo ante commemoratus Neuw ad Marchionem Onoltzbachicum porro ita „ ſcribit: In eo ſcripto, quod N. ſecum verſus Heydelbergam ſum- „ pſiſſet vltra Electorale Palatinum, Brandeburgicum, & Saxonicum, „ aliud adhuc votum conditionaliter petitum, quod etiam ſuo loco „ relictum fuiſſe: propoſitionem vero, Signoriæ N N. faciundam, „ reſidenti Ambaſſatori pellegendam porrexiſſe, qui illam, ob Si- „ gnoriæ iſtius, erga Forum Iulij & Iſtriam, prætenſionem, correxiſ- „ ſet, Gorcenſemque Comitatum & Gradiſcam, aliaque loca mari- „ tima, quæ Vſcochi inhabitant, addidiſſe, quæ omnia Reſpublica, ſi vi- „ delicet pecuniam atque ſumptus ſubminiſtraret, exoptata iſta ſub oc- „ caſione ad ſe pertrahere, & tum dominiū ſuum Tyrolim vſq; dilatare „ poſſet. Et hunc quidē Ambaſſatorem, vti aiunt, expreſſe iudicare, rem

non

Mart. A. C. MDC. XIX. non infeliciter cessuram, summam autem limites aliquantulum excedere, quocirca Nomarus tertiam millionem pro anno tertio non tantopere vrgeat, nisi bellum integrum per triennium gerendum fiet: „ Sin' enim vna millio numeratæ pecuniæ haberi, & adhuc vnius, „ intra XII. mensium spacium, pollicitatio fieri posset, tum, subsequente anno tertio, si Reipublicæ commemorato modo per omnia satisfieret, Vnitis nihil quoque defuturum: Eumdem siquidem „ N. quem ad dimidiæ partis contributionem adhuc promptum & „ paratum esse, existumare vt alium in finem destinata CCCC. coronatorum M. huncin vsum adplicentur.

II. Secundum additamentum, quod primum mox subsequitur, cum nullius fiet importantiæ, & saltim tertium, huic negotio minime implicatum, cõcernat, iccirco minime necessum arbitratur, vt istius hoc in loco fiat mentio.

III. Tertium additamentum est memoriale, quod Achatio à Dona ad Bohemicos Generales communicatum ob præsentationem N. coronæ Bohemicæ erga istas conditiones, quarum supra facta mentio, cumprimis illo in loco, vbi de concepto relatio instituta, quomodo illud nimirum Creilsheymij xx. Martij A. C. MDC. XIX. ad Principem Anhaltinum directum & ab Electore Palatino propria manu subscriptum fuit: iccirco, dilectæ breuitatis ergo, heic minime repetendum.

IV. Quartum additamentum est relatio vel expeditio Pragensis Baronis à Dona, apud Comitem ab Hollach & Ruppam, sub dato VI. April. A. C. MDCXIX. quæ vna cum modo dicti Baronis à Dona propositiones apud Generales, ex vernacula in linguam Gallicam translata, & ab Achatio à Dona manu propria subscripta fuit, vt eo melius N. præsentari, & is exinde videre queat, quam late videlicet Bohemici Generales, in puncto oblationis coronæ Bohemicæ, sese immiserint, & qua ratione Electorem Palatinum habenti suo iuri N. cedere.

V. Quintum additamentum in ijs conditionibus consistit, quas Bohemi in electione N. ad Bohemiæ Regem, in euentum sibimet reseruant: quarum prima est, vt ex parte N. propositæ conditiones ipso facto prius præstentur, &, pro II. Corona Bohemica suorum Priuilegiorum, libertatum, Maiestatis litterarum & omnium, tam relligionem,

quam politico-prophana negotia concernentium, quæ à maioribus suis ad ipsos translata essent, & ipsi apud priores suos reges obtinuissent, quæque in peculiari quadam designatione compræhensæ essent, & delegatis ad Interpositionem Agriam versus, viuente adhuc Cæsare, communicari debuerunt. April. A. C. MDC. XIX.

VI. Sexti additamenti loco designatio quædam reperitur, quid apud aliquot articulos, inter illos qui N. pro confirmatione (si in euentum electio cum illo procederet) proponi debuerunt, iuxta Generalium intentionem, adhuc porro, vltra & extra illud, cuius in IV. additamento fit mentio, perpendendum considerandumve siet.

IIIX. Septimum additamentum, est epistola, gratiarum actionem Bohemicorum Ordinum concernens, ad N. de dato x. Aprilis A. C. M. DC. XIX. in qua Comes Mansfeldius non mediocri fauore prosequitur, quod ipsorum negotia apud Signoriam di Venetia tam egregie re commendet.

IIX. Octauum additamentum alia quædam Bohemiæ Ordinum est epistola ad commemoratum N. de dato XII. April. A. C. MDC. XIX. huius ferme tenoris: quod N. per auctoritatem atque potentiam suam " impedire velit, ne vlli exercitui contra sese, Ordines, transitus, multo " minus militarium copiarum conscriptiones concedantur, illud enim " ad immortalem ipsius gloriam, & incrementum sui, &c. spectaturum: " Ordines quoque ipsi N. eo ipso facto adeo obligatos permansuros, vt " etiam, oblata occasione, ipso facto seruitia & officia sua demonstratu- " ri, Deumque rogaturi sient, vt N. cum auctione sui status prosperare " atque benedicere clementissime dignaretur. "

IX. Cum nono additamento ita comparatum est, quemadmodum supra apud secundum intellectum: iccirco certis quibusdam causis hoc in loco non immerito sicco pede præteritur.

X. Ne autem nihil omnino rellinquatur, quod ad Anhaltinæ legationis promotionem necessarium esse videatur, pro X. Gallicus quidam discursus insertus, quur videlicet non consultum, vt, in futura Romanorum Imperatoris electione, domus Austriaca vel Ferdinandus promoueatur: ipsum siquidem Hispanis esse addictissimum: II. nuperam differentiam inter NN. &c. ob Forum Iulium, omnino ad Hispanicam aulam remisisse. III. filium suum cum infante Hispaniarum matrimonio iungere meditari. Cum itaque de aliis subiectis cogitandum siet, nullam quidem de protestātium quodam capite spem con-

H cipi

April. A. C. MDC. XIX. cipi posse, eo ipso enim bellum relligionis in Germania excitaretur: equidem negari non posse Bauariæ Ducem inter Catholicos esse præpotentem, & tam Ecclesiasticos, quam seculares Electores sanguine & adfinitate tangere: verendum tamen esse Euangelicam reformatam relligionem sub ista permutatione (Bauariæ cum domo Austriaca) paruum sane emolumentum reportaturam, quum Serenis. iste Dux Bauariæ totus à Iesuitis dependeat. Itaque N. solummodo manere relliquum: qui multos habeat clientes, &c. apud quem Iesuitæ exiguum, vel omnino nullum accessum (per ragion di stato) habere: sub quo Venetiani procul omni dubio lubenter concurrerent, & ad id, vna cum magno Britannicarum Insularum Rege, vel auxilia conferrent, vel tamen hocce Protestantium propositum non impedituri essent.

XI. Sequitur nunc additamentum vndecimum, quod nihil aliud in se complectitur, quam aliquot adituum designationem, qui per peculiaria aliquot montana ex N. viam in Germaniam præmonstrant.

XII. Loco duodecimi additamenti notandum, quod inter ingredientia, ex quibus Comitis Mansfeldij instructio desumpta, apud XV. punctum hoc per expressum commemoratum fuerit: Eo quoque cogitandum esse, an non de Glöselio aliquid tractandum siet: hoc tamen nullo alio modo, quam vt eo ipso Ferdinandus reddatur odiosior, quo Palatinis Consiliariis ista consideratio animum subijsset, ne Glöselij caussa patrocinium susciperetur, quod Vnitorum actiones semper in transuersum arripuerit, quod etiam tum temporis suo loco rellictum, & in odium Ferdinandi dumtaxat modus procedendi, quasi peregrinus, & quo Cæsareæ S. M. respectus non mediocriter violetur, coram N. allegandus siet, iniunctum fuit: quod tamen Mansfeldius solummodo per modum discursus, & non directe, sub forma propositionis commemorare debuit: Quoniam vero iam Princeps Anhaltinus multo maiorem commissionem, & inter alia Romani Imperij, & N. Bohemicæ coronæ obferendæ caussa negotium in se receperit: iccirco litteræ, de dato XXII. April. A. C. MDC. XIX. confictæ sunt, in quibus odium Ferdinandi, ex illo facto, quod cum Glöselio accidit, summopere exaggeratur, cumprimis vero omnia eo extenduntur, quasi illud, factum, Ferdinandum in electione Romanorum Regis non parumper impediturum siet.

Quam nullo autem prorsus fundamento Spiritus Caluinisticus

XVI.

XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. & XXI. ſpecioſos prætextus, ad occultandum ſuum propoſitum, enumerauerit, id modo iam commemoratæ litteræ ſatis ſuperque teſtantur, quæ diuerſis in linguis conceptæ, correctæ, & vſque ad exoptatam perfectionem directæ ſunt: in quibus inter alia expreſſe affirmatur: Ferdinandum Auſtriacum viribus Hiſpanorum niti, & quod auxilio tot Prouinciarum hæreditariarum & regnorum præ aliis ad Romanam Coronam impetrandam egregia media habiturus ſiet: verum indignationem Bohemorum, Sileſiæ, & ſuperioris Auſtriæ, ac nullius pretij effectum ſui exercitus ipſi remoram inijcere: vereri inſuper Imperiales ciuitates ipſum vndique Ieſuitas introducturum, libertatemque conſcientiarum, vti in Styria atque Carinthia factum, turbaturum: quæ tamen omnia nihil prorſus eſſe, ſi odium illud conſideretur, quod ipſi Catholici contra Ferdinandum conceperint, quod nimirum adeo mirum contra Cardinalem Glöſelium proceſſum inſtituerit: quo facto non dumtaxat S. Collegium, verum etiam cumprimis Romanam ſedem grauiſſime offendiſſet, in profundiſſimam Sac. excommunicationis foueam incidiſſet, &, vna cum omnibus ſuis hæredibus tam ſceptrum, quam ipſum etiam dominium ipſo facto amiſiſſet. Quamuis vero per fallacias aſtutasque technas Romanum Pontificem aliquantulum ſedauerit, quod is factum non adeo magni æſtumet, nihilominus tamen intereſſentes Cardinales illud nullo modo adprobare poſſe: ſub eadem quoque captiuitate (Glöſell) magnam erga Romanorum Imperatorem ingratitudinem depræhendi, qui ipſi, Ferdinando, duas coronas ceſſiſſet, & adhuc apud Archiducem Albrechtum, & Hiſpaniarum Regem iſtam ceſſionem impetraſſet: iam vero ipſius ſupremum arcani conſilij Directorem amouiſſe, & Imperatricem ad deſperationem (vel quaſi) adegiſſe, & exinde ambos præ nimia animi ægritudine & mæſtitia vitam cum morte commutaſſe. April. A. C. MDC. XIX.

Poſtquam etiam Ferdinandus videat, quod abſque Hiſpanico auxilio & ſubſidio nil inceptare poſſit: nihilominus tamen adhuc dubitare, an illa accipere velit, nec ne, ſociũ enim metuere, & omnia ſibi ſoli libenter vendicare velle: Ex hoc fonte oriri quærelas Tyrolenſes, motus Morauicos, &c. Ferdinandum neque in: quam extra S. Rom. Imperium vllum fidelem amicum nanciſci poſſe: Electores de bene armato Romanorum Rege cogitare, ne cuidam ſer-

April. A. C. MDC. XIX. uitutis iugo submittantur, quodq; illis idem accidat, quod Bohemis conquerentibus ipsis capitulationes non seruari, cui tamen rei ipsos etiam Italiæ Principes inuigilare, vt erga eos, ipsum adorare nolentes,
„ vindictam & talem sane pœnam exerceat, quemadmodum maxumi
„ Monarchæ soleant, de hostibus suis triumphantes, atq; victoriam obti
„ nentes: adeo vt appareat, electionem non tam cito progressum suum
„ sortituram (quo melius Elector Palatinus Vicarius clandestina sua cō-
„ silia & actiones promouere possit) cum S. Rom. Imperij constitutioni
„ bus è diametro quasi repugnet diem electionis indicere, quū interea
„ aliquot Principes & Ordines vtrimq; armati sient. Conari interea Fer
„ dinandum, contra præscitum atq; consensum Vicariorum, exteras na-
„ tiones in regnū introducere, & seipsum quasi hoc ipso facto stabilire:
„ interim clanculum in S. Rom. Imperio falso hincinde spargere (heu
„ quæ hominis impudentia!) quasi cum Bohemis transactionem vel pa-
„ cificam compositionem inire cupiat. Hæc summam esse, quæ in S. Ro.
„ Imperio hinc inde discurrantur, immo publice hinc inde spargi Impe
„ rium male prouisum iri cum istiusmodi capite, quod ruinā moliatur,
„ subditis suis odiosum & semicœcum fiet; atq; adeo cum summa sua in
„ gratitudine erga Antecessores suos, & exiguo respectu erga Cardina-
„ les & Ecclesiam vniuerso terrarum orbi manifestum reddidisse, quid
„ in futurum de eo sperandum fiet; Item ipsum, Ferdinandum, Capitu-
„ lationes suas (quomodo autem Marchio Badensis reuersalibus suis lit-
„ teris satisfecit) minime seruasse, & id genus alia. &c.

Et hæc breuiter sunt additamenta & subsidia, quæ Christianus Princeps Anhaltinus supra & extra suæ fidei concreditam instructionem, & particularia memorialia, ab ipso compræhensa, & quorū contenta supra ordine recensita sunt, ad instantem suam profectionem sibi familiaria reddidit, ad expediundum id, de quo tamen nemo ex Vnionis Ordinibus, quam ad mysteria Missę initiati, quicquam scire debuit: vel, vti in particulari Memoriali inquiūt, quod, sub dato Schwabachij XIII. Augusti A. C. M DC. IIXX. Christophoro Baroni à Dona in
„ iunctum: Quamuis Vniti effectu frui, attamen originem, intentionē,
„ & medium (Vniti heic aures arrigant sibiq; prospiciant) huius negotij
„ ignorare debeant: interea vero nihilominus Vnionis vires, data
„ occasione, ad hunc scopum (inuadendi Ecclesiasticos) conuer-
„ tant.

Ad effectum Anhaltini Principis quod attinet, & quo potissu-

potissimum ista legatio, tam egregie instructa, & adeo clanculum adornata fuerit, id ex nulla re alia melius percipi potest, quam ex Protocollo, quod ipse Princeps Anhaltinus maiori ex parte annotationibus & castigationibus suis illustrauit; relliquum vero, vbi Christophorus à Dona, Anhaltini Principis in hac legatione adiunctus, ad conferentiam vel tractationem quamdam adhibitus fuit, ipse Baro (à Dona.) compleuit, omnia lingua Gallica, & quidem tam exquisitissima solertia & industria, vt etiam non dumtaxat singuli dies, vniuscuiusque res gestæ, sed & minutissima quæque ipso in momento, in: & extra peculiares arcanas conferentias, in Principis Anhaltini febri, in quam illinc inciderat, eiusq; tractatione &c. curiosissime consignata fuerint: quod sane lectu dignum iisdemque legationis munera obeuntib. informationem instructionemque communicat, quid videlicet ipsis facto opus fiet, sin tam egregia facinora perpetrare volent. April. A. C. M. DC. XIX.

Verum enimuero heic Principaliora dumtaxat succincte proponuntur, originalia siquidem suo tempore de verbo ad verbum edi poterunt: attamen prius faciunda mentio de epistola quadam Albrechti Comitis Solmensis, magni aulæ Palatinæ Magistri Heydelbergensis, sub dato VI. April. A. C. M. DC. XIX. quæ ad Principem Anhaltinum in ipso itinere, Vlmæ nimirum, perlata est, in qua modo commemoratus magnus aulæ Magister Principem certiorem reddit de clandestinis, nescio quibus, molitionibus, clanculum inter ipsos Catholicos initis: quæ, si, luci propiora, acutius intueantur, nihil prorsus aliud sunt, quā quod Comes Palatinus Neoburgicus hostilem in se impetum metuat, postquam vidisset Vnionem vndique militareis copias conscripsisse, iccirco Ducis Bauariæ opem auxiliumque implorasse, sin forsitan Iuliacenses sumptus violenter reparari, vel duo fratres, Palatini Comites, Augustus, & Fredericus, cum Vnionis exercitu aliquid contra Principales Prouinciales Magistratus tentare velint.

Sin vero Solmensi epistolæ insertum additamentum (quod copia est literarum quas Bambergensis & Aichstadiensis Episcopi ad Comitem Palatinum Neoburgicum ablegarunt, quamque procul omni dubio clandestinus quidam Correspondens quem Vniti Neoburgi alunt, Heydelbergam versus communicauit.) aliquanto acutius inspiciatur, manifestissime tum patebit, Catholicos bellum & armaturam semper detestatos esse, eamdem numquam adprobasse, sed semper æstumasse, nullum Ordinem, sub quocumque etiam prætextu (nisi

April. A.C.M. DC.XIX. publice ab altera parte offenderetur & infestaretur.) arma arriperet, neque per similem istiusmodi armaturam parti contrariæ ansam occasionemq; dare debere.

Equidem ex suis, magni aulæ Palatinæ Magistri, litteris & hoc
„ quoque porro depræhenditur, Vnitos siue Confœderatos, antequam
„ Cæsar Matthias, laudatissimæ recordationis, in sepulchro suo frigen-
„ do diriguisset, distinctis in locis peculiareis aliquot militarium Copia-
„ rum manus conscripsisse: quemadmodum & inter alia commemorat,
„ quid videlicet cum equitum tribuno Streiffeno, alias Löwenstein: Item
„ cum Capitaneo Ranuickio tractatum fuerit, & quod etiam ipse Ele-
„ ctor Palatinus aliquot famosos, reique militaris peritos, Capitaneos
„ à Principe Mauritio litteris sollicitare atque postulare conatus fuerit:
„ immo Marchionem Onoltzbachicum deputatum equitum numerũ
„ magno labore atque molestia vndiq; conquirere: &, porro Henrico-
„ Guilielmum Comitem Solmensem iam ante, II. videlicet d. Aprilis,
„ cum equitatu suo iuxta Heydelbergam processisse, cæteras turmas ve-
„ ro indies expectari: pari modo Dragones Capitanei Frenckeni in iti-
„ nere, & Mansfeldium admodum anxium sollicitumque esse, quo pa-
„ cto nimirum suæ fidei commissas copias integras illæsasque conserua-
„ re posset, donec ab N. (. quo Princeps Anhaltinus se contulerat.) suf-
„ ficiens subsequeretur instructio.

Ex quo ne in minimo quoque apparet, cuiusque etiam ne verbulo fit mentio, quod Catholici tum temporis vel militem conscripserint, vel quod pars aduersa hostilem ab ipsis irruptionem metuere necessum habuerit: cumprimis quod Rex Ferdinandus ipse per propriam Legationem Electori Palatino syncere atque regie promiserit, cõscriptum suum militem, ad nullam vllius S. R. Imperii Ordinis offensionem, sed vnice & solummodo contra rebelles suos subditos spectare.

Sed ad Protocollum nunc vt deueniamus, in illo mox ab initio
fit mentio, Principem Anhaltinum xxx. Aprilis Anno Christi M. DC.
„ XIX. appulisse, sed N. apud suam residentiam non inuenisse: quocirca
„ Baronem à Dona summo silentio præmisisse, qui N. de Anhaltini Prin-
„ cipis aduentu certiorem redderet, & simul, vbi Colloquium (. ab-
„ boccamentum suo modo.) fieri posset, tacite expiscaretur: quod ta-
„ men ante II. diem Maii institui haud potuit. Quo melius autem toties
„ nunc dictus Princeps Anhaltinus celaretur, N. tunc temporis solum-

modo

modo cum Barone à Dona coram hominibus loquutus est, postea vero eumdem Anhaltinum priuatim ad cœnam inuitauit: Qua peracta Monsieur N. versus Heydelbergam & Onoltzbachiũ missus, vna cum Mansfeldio Comite aduenit, eo ipso tempore cum modo commemoratus Comes à peracta sua legatione iterum in Germaniam retrocessisset. Tertio die Maii N. sese in egregium amœnissimumque hortum contulit, vbi, peracto prandio, propositio, Electori Palatino ab N. facta, & responsio, quam paullo ante commemoratus N. Heydelberga & Onoltzbachio secum attulerat, pellecta fuit. Vice versa Anhaltin. propositionem Bohemicis Confidentibus, vtpote Comiti ab Hollach & Ruppæ factam, & quid iidem Bohemici confidentes Achatio Baroni à Dona responderint, (. Ecce heic duo additamenta, III. & IV. videlicet, de quib. supra facta mentio, iam vsurpantur.) pellegit: de quibus duabus partibus, N. extractus quidam in scriptis (. equidem in forma probante absolutus.) fuit traditus. Eo ipso tempore Christophorus, Baro à Dona, (. qui Protocollum hoc compleuit.) etiam binas Bohemiæ Ordinum litteras (. quarum in IIIX. & IIX. additamento fit mẽtio.) deposuit, & tunc illinc digressum est. Quarto die Maii, qui festus fuit, duo principes iterum in horto conuenerunt, vbi Anhaltinus N. articulos tradidit, quos tamen ipse condiderat: (. quorum contenta sub Protocolli huius finem & sub lit. A. ordine recensebuntur.) antequam vero N. eosdem ad se recepisset, Anhaltinus prius, & in ipsius N. præsentia, eosdem pellegit: quo facto N. eosdem ad partem, & transcursorie dumtaxat, legit, & vniuscuiusque necessitatem & ponderationem sibi ipsi reseruauit: interim tamen addidit, nullam sese videre certitudinem, si forsitan S. Rom. Imperium diuisum duos Imperatores (. Catholici vnum, Vniti alterum.) eligeret, quid tum faciundum foret? Ad quæ Anhaltinus responsionis loco retulit: pro libertate pugnandum, & cum aduersa parte nullam omnino pacem vel ineundam, vel decernendam esse, donec altera pars obpressa (. succumbe habetur in textu.) fuisset. Nihil autem ad hæc N. replicauit, nisi quod mentionem fecerit, sese Mansfeldicis copiis inposterum quoque suis sumptibus succursurum, quæ singulis mensib. LXX. ducatorum M. requirerent, quæ pro se solo non contemnenda summa pecuniæ esset: attamẽ si Augusta Treuirorum grandi quadam vi lucrari posset, se tum istos sumptus è suo marsupio erogaturum. Extra illud, aliud quoddam medium N. proposuit, sin' videlicet Ferdinandus in Romanorum Imperatorem,

Maius A. C. MDC. XIX.

NB. pacifica corda Caluinistica.

Maii ratorem, ipse, N. vero in Rom. Regem eligeretur. Porro inter se inui-
A. C. M. cem de modo inuasionis colloquuti, & quod ad eamdem duæ arma-
DC. XIX. turæ requirantur: vna, in N. ad VIII. peditum M. & M. D. equites sese
extendens, præter & extra D. M. quæ ab N. ordinarie alantur. Altera
" in Imperio, & potissimum in regno Bohemiæ: illa in Imperio autem
" aliquanto fortior, & in duas partes diuidi oporteat: quarum vna in O-
NB " rientalem Franciam: altera vero circa Rhenum mittatur: & tum am-
bæ in isto loco coniungantur, vbi illud rei necessitas commodissime
NB " postulare videbitur. Præter hæc de occupatione Brissaci quoque facta
mentio, quæ impressio Marchioni Badensi relicta atque demandata
" fuit.

" Sexto eiusdem Mensis die prandium in Voluptario siue Virida-
" rio peractum: quo finito Anhaltinus & N. per III. horas integras in-
" ter se inuicem consilia sua contulerunt: vbi N. inter alia tum temporis
" rettulit, sese ad tanta portanda onera imparem: quocirca cæteri quoq;
" ad quos principaliter negotium illud magis, quam ad sese pertineret,
" quotam suam proportionabiliter conferrent: tum quoque sese ex sua
" parte negotio minime defuturum. Deniq; iocabundus astute iterum
" ille N. affirmauit: sese pro sua dumtaxat parte in N. & N. XV. peditum
" & II. equitum M. suis sumptibus alere posse: Munitione bellica care-
" re: in Imperio IV. peditum M. & C. equites suis sumptibus conductu-
" rum, quibus XLII. thalerorum M. impendere necessum haberet. Vice
" versa Vnionis Ordines IIX. peditum, & II. equitum M. Anglia IV. suæ
" nationis M. Confœderatæ Prouinciæ Hollando-Belgicæ totidem: &
" Bohemiæ Ordines, vna cum incorporatis Prouinciis X. vel XX. militum
" M. suis sumptibus conscriberent: In summa ad istiusmodi expeditio-
" nem XL. peditum & equitum VIM. exercitus requireretur. Dein' An-
" haltinus caussas impulsiuas susceptæ suæ profectionis, & exinde ex-
" pectandas insignes commoditates ordine recensuit.

" I. Vt melius alter ab altero candide intelligi, & ista Correspon-
" dentia vbiuis vsurpari possit. II. Vt hoc negotium (. subintellige quid
" Baro Christophorus à Dona primum, secundo vero Comes Mansfel-
" dius hac in aula tractauerit.) continuari, & inuasio præoccupari queat.
NB III. Vt ipse Anhaltinus in persona propria aditus intueatur, an videli-
" cet & cuius isti fient importantiæ: de hac vide secundum additamen-
" tum. IV. Vt colligere possit, quæ media in promptu, præsertim autem
" dona in persona N, quibus à Deo præ aliis donatus atque dotatus fiet,
consi-

Maius An.C M. DC.XIX.

conſideranda: quæ omnia ab N. vti ex omnibus circumſtantiis liquet, in bonam partem interpretata fuerunt: quemadmodum etiam in ſubſequentibus N. rettulit; ſeſe ſibi oblatos heſterna luce ſcripto comprehenſos articulos ab initio ad finem vſq; ſummo ſtudio atq; ſolertia pellegiſſe, & totam iſtam noctē, ob eorundem ſedulam meditationem, inſomnem duxiſſe: nihilominus tamen finalem reſolutionem pro tēpore communicare haud poſſe. Ad hæc Anhaltinus replicando omnibus circumſtantiis totius negotii initium & eiuſd. exordium commemorauit, quodque offerta ad xv. militum M. ſeſe extenderint, quæ inita ratione, in ſumptus III. thalerorum milliones requiſierint: paullo poſt tamen Electorem Palatinum, & Marchionem Onoltzbachicum duabus millionibus contentos fuiſſe, attamen vt iſtæ in numerata peccunia habeantur, & nulla alia re indigeant; quā vt à menſa (. Sur le tapis.) ſacco infundantur. Nunc ſeſe, Anhaltinum, vlterius progreſſum eſſe, & ipſi N. non magis quam MCC. thalerorum M. petiiſſe, cuius rei tamen ipſe, Anhaltinus, plenipotentiam non habuiſſet, ſed illud dumtaxat ratificationi Electoris Palatini & Marchionis Onoltzbachici commiſiſſet, quibus nihil præſcribi voluiſſet. Ne autem inchoatum negotium interruptum permaneret, &, conſiderando quod N. adeo liberalis, qui alias in profundendis grauiſſimis ſumptibus occupatus eſſet, & exinde bona ſpes concipiatur, NN. ſeſe itidem huic negotio immixturos, & intentionem hancce pro virili promoturos: iccirco, Anhaltinum, commemoratos iſtos MCCM. thaleros ad ratificationem, vti dictum, accepturum. Et ad hæc compoſitionis factum initium, vti ex eo potiſſumum modo (. de quo infra fit mentio ſub lit. A. vbi bina ab Anhaltino tradita ſiue porrecta, & ab N. correcta concepta coniunguntur.) illud ſatis ſuperque videre eſt. N. autem offertorum iſtorum impletionem, quatenus nimirum vna pars erga alteram adfecta eſſe debeat, eo potiſſumum intellexit, vt ante omnia videlicet Bohemi Coronam ſibi ipſo facto obferre debeant, quo viſo ipſius ſubditi abs ſe illam pecuniæ ſummam eo lubentius erogarent. Neceſſarium itaque eſſe (. iuxta Anhaltini Protocollum.) vt primum Comiti Mansfeldio, ob turmas ſuas, illud, quod ex ſua parte in tractatione cōmemoratur, & ipſius ſcire intereſt, abſque vlla mora, dextre tamen, ſignificetur. II. Dominus à Ruppa certior reddatur, vt nimirum Generalis Conuentus Prouincialis in Bohemia indicatur. III. Vt Bohemię Ordines ad N. delegatos ſuos mittant, qui noua & aſſecurationem ad-

I ferant,

Maius An.C.M. DC.XIX.

ferant, ipsi Coronam Bohemicam ipso facto tradendi: idq; sequentib. conditionib. I. Continuatio XV. peditum M. & D. equitum sub imperio Comitis Mansfeldii. II. inuasio Alsatiæ, vel ad minus Copiarũ Hispa-
» nicarum profligatio, sin' (.ex peregrinis locis.) adducantur. III. Sum-
» tuum exhibitio ad armaturæ subsidium. IV. NN. eo commouendi vt
» pari modo hostem adoriantur, & nullum ipsi transitum permittant.
» Circa v. diei istius horã N. ab Anhalt. licentiam impetrauit, eidemq;
» Anhaltino, iniunxit vt nimirum ad conferentiã sese, cũ NN. delegatis,
» & cum Monsieur N. pararet: Inter alia quoq; toties nunc cõmemo-
» ratus N. aperte fassus est, inter summos belli Duces hodierno tempore
» viuentes cumprimis palmam obtinere I. Principem Anhaltinum, II.
» Mauritium Principẽ Auraicum, & III. Marescallum Desdiguieriũ &c.
» Septimo eiusd. mensis die Princeps Anhalt. in horto cum NN. De-
» legatis tractationẽ iniit, ipsisq; ab initio in memoriã reuocauit, quod
» nimirum Secretarius Neuw, vel Nomarus, nullam sufficientem expe-
» ctatamq; resolutionẽ receperit, idq; fortassis illis ex caussis, quod hoc
» arduum perquam difficile, & late se extendens fiet negotium, & idem
» ille Secretarius Neuw/ vel Nomarus, nullas ab Electore Palatino Cre-
» dentiales litteras secum adportauerit: quæ tamen ideo ipsi, Nomaro,
» denegatæ fuerint, quum istius negotii mysterium & temporis ratio
» id nullo modo permisisset: adhęc omnem in N. collocatam fuisse fidu-
» ciam, cuius interpositio hunc defectum supplere debuisset. Ad prin-
» cipalia membra a. vt deueniatur, omneis & singulos quidẽ iudicare &
» æstumare, res domus Austriacæ ita comparatas esse, vt ista vel cito om-
» nino interitura, vel tamẽ, nisi mature satis rei inuigiletur, ad istiusmo-
» di restaurationem peruentura fiet, vt exinde multaiũ familiarum do-
» mib. procul omni dubio totalis interitus immineat: restaurationem i-
» stam in eo potissumum consistere, si videlicet Ferdinandus ad altissi-
mum S.R. Imperii fastigium euehatur. Hoc in loco magnitudinis isti[a] domus (.Austriacæ.) facta mentio: de illius dependentia, potentia, ar-
» mis, & mediis ad eorumd. conseruationẽ: quodq; primum impetum
» Stadenses in Hollandia & NN. sustinere necessum habuerint: eam po-
» tissumum ob caussam, ꝙ domus Hispanica à circumferentia ad centrũ
» ire meditetur, quodq; eos, in centro Imperii degentes, somnolentos
» reddere conetur, quo melius & facilius postmodũ, si circumferentia
» potiãtur, (.Hispani.) palmã obtinere possent. Hæc consilia Hispanos
» iãdudum meditatos esse: quemadmodum Archidux Maximilianus ali

quoties

quoties fassus fuerit: porro quoq; odium domus Austriacæ erga NN. adeo magnum esse, vt nullo vmquam tempore reconciliatio quædam speranda siet. Vt itaque potentiæ & incremento Ferdinandi mature obuiam eatur, nullum amplius restare medium, quam idoneam & optatam istã occasionem qualis intra totius Seculi spacium sese nõ obtulisset. Eod. hocce in loco exemplũ Venetianorum cum Gradisca N. N. Delegatis in memoriam reuocatum; ipsisq; serio persuasum est, ne videlicet oblata ista occasio prætermitteretur, idq; eum potissimum in finem vt non dumtaxat duo articuli, à Nomaro Secretario propositi recõmendentur, (*mutuatio pecuniæ, & fortis ad grandem armaturam pro Bohemis adsistentia.*) verum etiam ne NN. vllum transitum permittãt. Deniq; NN. perpendere etiã posse, quam exoptata isthæc fiet occasio, vt nimirum bellum in N. & N renouetur: exinde n. NN. magnam commoditatem adepturos: subintelligẽdum ob occasionem diuersionis: item, quod vtiliter hostem adoriri possent, quum per se nõ dumtaxat debilis, verum etiam multis in locis distractus siet: Regi Hispaniarum n. aditum vndiq; interclusum, vice versa NN. vbiq; apertum esse: interim vero media sese detectura fient, vt etiam per Tyrolim & Hungariam aditus NN. potestati subiiciantur, qui sane ipsis nõ exiguum dumtaxat emolumentum & consequentiam parituri fient. In summa omne illud vniuersalem esse effectum generalis istiusmodi coniunctionis, ipsos denuo rogantes vt commemorati isti articuli N. N. summa solertia recommendentur, & Delegatis, pro summa ipsorum prudentia, beniuolentissima communicetur resolutio.

Maius A. C. M. DC. XIX.

Toties a. nunc dicta Conferentia ab N. interrupta fuit: quocirca Ambassator N. sermonem exorsus, primo beniuolentissimam N. erga Electorem Palatinum adfectionem multis elogiis & circumstantiis prædicauit: inter alia quoq; mentionẽ fecit: negotium istud esse caussam communem, & NN. summæ curæ cordiq; esse, adeo vt istiusmodi occasionem neutiquam tam facile prætermissuri fient: ad particularia a. quod attineret, quæ Secretarius Neuw apud NN. proposuisset, & iam Anhaltin. maiorib. repetiisset, sese, Ambassatorem, nullam certam vel aliam respõsionem delegatis dare posse, nam ipsis NN. potius vires & media, quam bonam voluntatem deesse: impotentiam n. ipsorum iam per se notoriam, econtra autẽ sumptus, qui singulis mensib. vltra CCCC. thalerorum M. sese extenderent, ferme intolerabiles esse, in effectu hanc diuersionem Vnitis Principibus & Bohemis plurimum

Maius An.C.M. DCXIX. mum prodesse: ast hoc sese facturum, & NN. exhortaturum vt Domini sui Principales ad Anhaltini postulata sese ocyus & proxima quaque occasione resoluerent. Ad hanc NN. Ambassatoris responsioné N. replicauit: NN. istiusmodi mediis non adeo esse destitutos: notorium enim esse ipsos, vrgente necessitate, intra minus quam octidui téporis spacium vltra vi. auri milliones colligere posse: Ambassator vero priorem suam prætensionem repetiuit, & inter alia hæc addidit: ad prohibendos terra mariq; aditus quod attineat, NN. istos domui Austriacæ neutiquam concessuros, sed transitus, quam numerosi etiam isti sient, omnino inhibituros, nihilominus tamen ipsos paucis, seorsim & clanculum transituris copiis militarib. ac: & recessus neutiquam inhibere posse. Inuasionem quoque in N. quod attineret, existumaturum sese NN. pari modo difficultates quasdam prætensuros, rationem temporis habituros, & cumprimis in mari serio occupaturos, atque propterea vires suas non facile segregaturos fore.

Ad hæc N. instando repetiit, exiguam ipsorum armaturæ separationem neutiquam considerandam esse: illam siquidem, ratione téporis & loci, bene ac decenter instructam magnam commoditatem & effectum allaturam: exempli gratia NN. cum V. militum M. plus effecturos, quam olim xx. militum M. profecissent: Ferdinandum siquidem in Bohemia, Austria, & Hungaria iam præpeditum nõ sat virium habere, quib. sese in Foro-Iulio defendere possit, cumprimis quoniam Prouinciarum hæreditariarum suarum subditi, & circumiacentibus in locis, NN. finitimi, maiori ex parte insurrexerint, vel tamen propediem insurrecturi sient. In hisce Ambassatorem præ se tulisse quasi N. in iis, quæ modo commemorauimus, adstipularetur, attamen rem tum temporis in suis rellictam fuisse terminis.

Posthæc N. operæ pretium esse iudicasse, si toties nunc commemoratus à Dona Ambassatores istos pariter inuiseret, & illud, quod supra aliquanto fusius recensuimus, pluribus circumstantiis repeteret, iisdemque sub ista occasione litteras Bohemiæ Ordinum traderet, quas ad NN. paribus contentis (. exceptis quæ à Vicariatu adferuntur.) cum duabus prioribus, de quibus supra in IIIX. & IIX. additamento facta mentio, exarassent, in quibus porro elocationis concessionisque pecuniæ, & prohibendorum intercludendorumue adituum causa vlterior fit mentio.

Octauo huius Mensis (. Maii.) die, Baro à Dona ad N. sese contulit,

tulit, & in conclaui siue cubiculo auditus est: qua occasione conce- Maij A-
ptum, quod maturari debuit, pellectum, & ab ipso N. correctum est. c MDC.
Quo facto ipse N. ad Baronem à Dona retulit, quod idem illud con- XIX.
ceptum abs se correctum in originali ita absolui, cætera additamenta, & Anhaltini Principis memorialia vero nude dumtaxat pro copia describi debeant. Postea N. Baroni à Dona iterum mandauit, vt ad NN. delegatos proficisceretur, & ex ijsdem perciperet, quomodo iam erga negotium istud adfecti essent, apud quos Baro per semihorulæ spaciū commoratus ijsdem Bohemiæ Ordinum litteras exhibuit: qui expresse modo, & toties nunc commemorato Baroni à Dona responderunt: sese punctum, ob concedendam, in emolumentum Bohemię ordinum certam summam pecunię, quemadmodum & alterum, Hispanis intercludendos aditus & transitus concernentem, articulum, ad referendum acceptaturos. Et quidem aditus, eiusdem ve interclusionem, quod attineret, iste per se & alias Hispanis non concederetur, addita constanti asseueratione & protestatione, NN. singulari zelo & adfectione Bohemico isti negotio & Vnioni fauere & bene cupere, interposita tamen excusatione ob incredibiles ferme sumptus hocce tempore Bohemis gratificari non posse, quum NN. singulis mensibus vltra CCCC. coronatorum M. erogare necessum habeant: quo percepto Baro (à Dona) ipsis breuiter magnam potentiam, florentissimas prouincias, & Ferdinandi media, atq; plus quam Vatinianum odiū, quod erga NN. gerat, in memoriam reuocauit: quæ omnia itidem negare minime potuerunt, attamen cum tenuitate atque impotentia sese iterum hoc tempore excusarunt.

Circa istius diei vesperam N. sese ad Principem Anhaltinum cōtulit: vbi, in præsentia Baronis à Dona, conceptum, denuo emendatū & mundatum, pellectum est. Quo percepto N. affirmauit sese subsequenti die illud subsignaturum & promoturum.

Quamuis vero decreuissent, quamprimum subsignato concepto illinc digredi & domum repetere, nihilominus tamen Anhaltinus, morbo correptus, N. certiorem reddidit, sese postridie lubenter adhuc permansurum valetudinemq; suam curaturum.

Nono & X. die Maij Anhaltinus in grauissimam febrim incidit, quem N. inuisit, & eidem inter alia significauit: sese ab Monsieur NN. litteras accepisse, in quibus indigitatum fuerit, ne videlicet N. Bohemico isti negotio sese immisceret: modo dictum tamen Monsieur N.

Maij A. C. MDC. XIX virum esse præposteræ prudentiæ, qui omnibus rebus participare velit: itaq; ipso in effectu metuendum Occidentalem Franciam Hispanis fauere atque benecupere. Postridie cursor quidam, ab Marchione Badensi missus, appulit: sub cuius aduentum Anhaltinus ad magnum Aulæ Palatinæ Magistrum, Comitem Solmensem, iuniorem Principem Anhaltinum, Achatium Baronem à Dona, & Borstelium litteras dedit: circa vesperam de modo commemorati Cursoris Marchionis
„ Badensis allatis varij discursus habiti. Subsequentibus diebus Prin-
„ ceps Anhaltinus à febri, in quam illum incidisse paullo ante diximus,
„ grauiter adflictus, Medicis, Pharmacopolis & administris multum sa-
„ ne molestiæ & laboris creauit, nihilominus tamen, pro familiari ze-
„ lo, à periculosis consiliis & negotiationibus minime cessauit, sed mul-
„ to potius coronam Bohemiæ nominetenus ad alios, in ipso tamen ef-
„ fectu modo ad Electorem Palatinum transferendi, sedulo laborauit:
„ Specialia tamen (ex quibus sane grauiores enormitates depræhen-
„ duntur) certis quibusdam de caussis heic non immerito sicco iam pe-
„ de prætereuntur.

„ IIXX. die Maij sequentia in consilio noua ex Bohemia allata,
„ & de istis peculiares deliberationes institutæ sunt: I. antequam Ferdinandi copiæ è Belgio aduenian, Bohemos certam occupandæ Buduisæ spem concepisse. II. Certam quoque eosdem, Bohemos, spem alere incorporatas Prouincias, Morauiam, Hungariam, &c. Bohemiæ Ordinibus sese coniuncturas, & confœderationem cum istis inituras. III. Principes Vnionis in armis esse, &c. Item Bohemos aduersus Ferdinandum bellum adhuc intrepide continuare, & Morauiam grandi cum exercitu inuasisse: Item NN. Constantinopoli serio adlaborare, & Turcorum Imperatori persuadere conari, vt nimirum militem limitibus Hungaricis immittat, Hungaris (*tum temporis Regi suo Ferdinando constanter adhuc adhærentibus*) terrorem incutiat, & ita Ferdinandum istis in locis omnibus modis impediat. Item: De Anglia paruam spem concipiendam, cum nulla adeo peccunia in promptu siet, id quod sæpius & aliquanto latius eo ipso declaratur, quod Rex (Angliæ) pro Electore Palatino ad Romanam coronam minime consentiat, & eius teneram adhuc ætatem prætendat. Regiam suam Maiest. quoque non vna dumtaxat vice serio affirmasse sese Bohemicam istam intemperiem lubentissime sedatam vidisse, iccirco, ad promouendam pacem, delegatos suos ablegasse, Item:

se. Item: Stadensium siue confœderatarum Prouinciarum Belgicarum delegatos, apud commemoratum magnum Britannicarum Insularum Regem, tam nauigationis, quam futuræ adsistentiæ caussa, nihil omnino impetrasse, ea propter male contentos domum repetiisse. Maij A. C. MDC. XIX.

" Probe autem heic notandum quod ad istos articulos peculiaria additamenta pertineant, sub lit. B. & C. quæ tamen breuitatis, aliorumque respectuum gratia, iam iterum omittuntur: toties siquidem nunc commemoratus Princeps Anhaltinus facillime sibi reuocabit in memoriam, quæ videlicet in arcana sua audientia, XXVI. & XXVII. Maij istius anni, inter ipsum & N. ob NN. consilia, discursus, & conferentiæ agitatæ fuerint: inter alia vero, vt Bohemi mascule protegantur, &, sin res aliter non comparatæ essent, in forma Reipub. ope auxilioque Hollandorum & NN. gubernare debeant. Similiter quid ille ipse Anhaltinus, XIX. Maij ante cœnam, Baroni à Dona in calamum quasi dictauerit, insignem perpotentemque quamdam ciuitatem, cuius diuitiæ XXXII. millionum summam excederent, occupandi, & prouentum istum ad ipsorum propositum conuertendi; cumprimis autem, ad Romanam coronam quod attinet, quod melius Turcorum Imperator, immo Diabolus ipse ad eamdem (coronam) promoueatur, quam si Ferdinandus succedere debeat. Verba protocolli in lingua Gallica ita & melius sonant: *qu'il seroit mieulx de prendre plustost vn Turc, voire vn Diable à la Succeßion de l'Empire, que de la laisser venir à Ferdinand.* NB.

" Verum enimuero istiusmodi specialia heic minime considerantur, sed satis superque sufficit, quod Anhaltinus, Marchio Onoltzbachicus, Elector Palatinus, magnus Aulæ Palatinæ Magister, D. Camerarius, Plesseius, bini Barones à Dona, & intimi quique sciant, occulta & perniciosa ipsorum consilia DEVM TER OPTVMVM MAXVMVM iam detexisse.

" Peracta tamen ista occulta atque clandestina Legatione tam mirabilium consiliorum, & Decretorum, siue conclusionum, Princeps Anhaltinus, in regressu, tres insignes equos, vna cum gladio & pugione gemmis pretiosissimisque lapillis exornatis, honorarij loco accepit.

" Ad additamentum lit. A. (quod conceptum comparationis, & ex An-

Maij A. C. MDC. XIXj

ex Anhaltini instructione desumptum est.) XIV. articuli magnæ sane importantiæ referuntur, qui tamen ex parte iam suo loco relinquuntur, excepto: quod N. Mansfeldij IV. militum M. & DC. equitibus, pro Electore Palatino quauis ingruente necessitate vsurpandis, stipendia persoluere debeat. Item: Cæsarem, & Hispanica auxilia ab aditu omnibus in locis arcenda. Item: Alsatiam inuadendam, domum Austriacam diuertendam, magnas pecunię summas ad CC. MCC. MCCCC. thalerorum M. immo milliones, sese extendentes, certis terminis persoluendas, & non dumtaxat Bohemiæ ordinum, verum etiam vniuersi S. R. Imperij libertates conseruandas: Item grandiorem fortioremque armaturam in campo alendam: Item quamprimum tertia pecuniæ parte persoluta, Elector Palatinus, Anhaltinus, & Marchio Onoltzbachicus pollicentur, vt absque vlla mora X. peditum M. & certum equitum numerum conscribere, omnia tormenta, munitionem, ad eamdemque pertinentia requisita comparare, Hispanorum consiliis resistere, Bohemiæ Ordines protegere, & correspondentium Priuilegia atque libertates sartas tectasue conseruare velint: Item, quod Mansfeldius cum N. conclusisset, in effectum deducendum, nullamque pacem vel inducias aliquot per annos decernendas. N. apud Bohemos in magna consideratione esse, quam Elector Palatinus aucturus fiet, vt ipsi coronam deferant & in Regem suum eligant: quo in casu idem Elector Palatinus omnem dabit operam, vt inclinationes & fauores Bohemorum, quos erga propriam suam personam hactenus persenserit, quosque non vna dumtaxat vice sibi detexerint, ad ipsius N. personam transportentur atque deriuentur. In futura Romanorum Regis electione Electorem Palatinum talem eligi curaturum atque promoturum, qui, ex præscripto S. Rom. Imperij Constitutionum, ad conseruationem eiusdem Imperij libertatum fiet idoneus: sub quibus præcipue ij summa industria considerentur, qui sua merita & beneficia cumprimis præ cæteris ostenderint: sperare insuper eumdem Electorem Palatinum sese Electoralis Brandeburgici, & filij sui votorum non dumtaxat compotem, verum etiam superiorem futurum. Item: ad conclusorum articulorum seruationem non solummodo contrahentes Electores atque Principes, sed etiam eorumdem hæredes & posteri obligabuntur. Tormenta, ad eademque pertinentes globi, & nitrati pulueris summæ in specie præscriptæ sunt: nimirum ad minus III. vel IV. pulueris nitrati centenarij,

tenarij, totidem funales, plumbum in numero duplici, vna cum necessaria prouisione & obsidione campestri. Maij A. C. MDC. XIX.

Porro quoque in eadem ista tractatione inter alia relatum est, quod nimirum Romana corona ad N. & Bohemica ad Electorem Palatinum transferenda, quum hoc tempore sufficiens fiet, si videlicet Austriacę domui corona Bohemica subtrahatur: quemadmodum negotium illud potissimum toties nunc dictum Electorem Palatinum denominet, quo melius magisque relligio amplificetur.

Ad coronam Cæsaream quod attineret, N. à morte Matthiæ Cæsaris (*hac relatio, ex qua ista extracta sunt, XVI. Februarii data est, vbi Cæsarea S. Maiest. etiamnum inter viuos adhuc exstitit*) sibi boni quidpiam polliceri, modo & Occidentalis Francia pariter huic negotio non deesset, ea propter res ibidem fulciendas & stabiliendas.

Iuxta illud Anhaltinus similiter sibi reuocabit in memoriam, " quas nimirum litteras Amanuensi suo, Baroni à Dona IIIX. & XVII. " Maij, in calamum dictauerit. "

In primis, lit. D. ad Marchionem Badensem, N. maxumopere commendat, quam potens ille fiet, &c. Item sese, Anhaltinum, cursorem ad Marchionem ideo ablegasse, vt redderetur certior, res in genere bonis versari in terminis, quæ tamen in specie calamo neutiquam tuto committendæ fient: quemadmodum etiam eidem Baroni expresse iniungit, vt mandatum summo silentio, absque vllius hominis adtractione, Marchioni exponat: siquidem id Reipubl. interesse, & ipsi deniq; Marchioni plurimum profuturum, &c. *NB. ob Brissacum, Marchioni deputatum.*

In secundis ad Electorem Palatinum, lit. E. pari modo Anhaltinus commemorat res in bonis attamen istiusmodi terminis consistere, quod relatio oretenus fieri, non autem calamo committi oporteat. Hoc tamen sese tuto chartæ committere posse, ex parte N. nullum defectum adpariturum, quamuis NN. pro tempore sese excusauerint: quemadmodum etiam N. promisisse vt singulis mensibus C. thalerorum M. persoluere velit, attamen hac expresse sibi reseruata conditione, vt Elector Palatinus & Vniti contenti esse possint: plurimum in eo potissimum consistere, N. generali pollicitatione duorum in Bohemia confidentium, vtpote Comitis ab Hohenloe, & Ruppæ, neutiquam posse adquiescere: eapropter lubenter sese videre, sin & in hoc

Maij A. C.MDC. XIX. negotio maior luculentiorque declaratio subsequi potuisset: quem in finem etiam sese, Anhaltinum, Achatio, Baroni à Dona, per litteras eius rei caussam significare, & nunc Electori Palatino liberum rellinqui, num videlicet commemoratum Achatium quamprimum ablegare, & rem eo promouere velit, vt, in suo, Anhaltini, reditu, certam resolutionem reperire, & exinde N. ansam occasionemq; habere possit, tam bonam istam suam intentionem ipso facto in effectum deducendi.

Tertia Anhaltini epistola, lit. F. ad Achatium à Dona, eo similiter directa est, nimirum, quod N. bonam dispositionem duorum in Bohemia confidentium bene acceptauerit: nullam tamen exinde asse curationem percipere, cui tuto fidere posset, cumprimis in tam arduo difficilimoq; negotio, quod ipsius reputationem, populos, atq; Prouincias concerneret, ideo eo minus negotium istud præcipitãdum esse, & eapropter rẽ istis in terminis promoueri cupiat, vt legitimo more modoq; vocari queat, tum enim sese omnẽ adsistentiam prestiturum, atque adeo personam suam propriam, amicos, aliosque suos confœderatos lubentissime impensurum. Bohemiæ Ordines itaque absque vlla mora delegatos suos ad N. mitterent, quorum medio de ipsorum beniuolentia N. eo melius constaret, & articuli, qui ad negotium illud pertinere videbuntur, vtrimque & reciproce pensitarentur: quem in finem etiam sese, Anhaltinum, peculiarem quemdam cursorem ablegasse, &, pro arbitrio & consilio Electoris Palatini, operæpretium esse iudicasse, vt videlicet duo confidentes, Ruppa, & Hohenloius, omnium gestorum in continenti certiores redderentur, atq; tamdem ab ijsdem omnis necessaria præparatio institueretur: Interea sese, Anhaltinum, regressum suum pro virili maturaturum, alias omnia in bonis, atq; in istiusmodi quidem terminis consistere, vt exinde diuinæ prouidentiæ manifestissima depræhendantur vestigia. Datum N. IIIXX. Maij, A. C. M. DC. XIX.

In memorialibus lit. G. H. inter alia subsequentes consultationes & propositiones reperiuntur: Stadenses in Hollandia inducias iam iam violent, neque expectent donec XII. anni finiantur: ipsos enim facile prætextum & occasionem reperturos, sub prætensione Hispanicarum technarum clandestinarumq; molitionum cum Barnefeldio, cum Iuliacensibus Prouinciis, vel cum ciuitate Embdana.

Venc-

Venetianis persuadendum esse, vt bellum cum Hispanis & Rege Ferdinando renouent, an forsitan Forum-Iulij vel Histriam interea occupare possent: quo facto sane multis sumptibus, quos alias tam in salo, quam in solo erogare necessum habeant, plurimum detracturi essent: Item, Hispaniam duabus in partibus inuadendam, Vnitisque Principibus, ad similem intentionem, erogatione grandis summæ pecuniæ succurrendum esse: Quamuis etiam Venetiani plerumque bellum summo studio euitare soleant, nihilominus tamen præsentem, idoneam, exoptatamque istam occasionem ipsos pellecturam. Maij A. C. MDC. XIX.

Summam itidem necessitatem requirere, vt potissimum ista oretenus proposita intentio (ciuitatem N. concernens) quamprimum in effectum deducatur: Illam siquidem talem consequentiam pariturам, ex qua Reipublicæ non minus commodi, quam ex duabus prioribus istis intentionibus, ob circumstantias, quæ illi cohæreant: attamen neutiquam cessandum, sed eo commodius intentionem istam adimplendam, atque adeo magnam commoditatem vtilitatemque exinde expectandam esse.

Non minus æque esse necessarium, vt Vniti Electores, Principes, Ordines, Imperialesque ciuitates manus auxiliatrices sibi reciproce præbeant: siquidem magis de ipsarum libertate, ac sui ipsius cōseruatione, quam de alia re quapiam ipsis agendum esse. Pari modo omnem dent operam vt in Belgio conscriptæ militareis copiæ ab aditu arceantur: Sin enim Ferdinandus & domus Austriaca nullas auxiliareis copias è Belgio recipiant, tum de ipsa actum esse: Ex Neapoli siquidem per Golffonem nullum exercitum Tergestum versus permeare posse, nisi cum Venetianorum classe manum conserat: Venetianos quoque semel decreuisse, quod prius extrema quæque impendere, quam transitum hoc modo concedere velint. Si autem militareis copiæ Neapoli Mediolanum versus deducendæ essent, non exiguum temporis spacium terra, marique ad id requiri, viam porro non dumtaxat incultam & asperam, verum etiam nimis longinquam esse.

Item: Totum hunc tractatum, vniuersamque rei cum N. gestæ seriem Marchioni Badensi detegendam, idque potissimum eum in finem quo melius, ad occupandum Brissacum, disponatur: vtque huic intentioni serio inuigilet, munitionem & "

Maij A. C.MDC. XIX. tormenta sibi comparet, cum hac conditione, vt tum ipsi commemorata ciuitas Brisacum pro recompensatione integra permaneat.

NB. „ Duci Würtembergico autem nihil, præter Mansfeldicarum militarium copiarum subsidium, reueletur.

Electorem Palatinum, notoriorum Vicariatuum gratia, admonendum.

In itinere aditus perquam studiose perlustrandos, quomodo nimirum res sese cum istis habeat.

Quamprimum Bohemiæ Ordines quoque admonendos, vt nimirum absque vlla mora Ambassatores suos ad N. mittant, cum certa assecuratione quid nimirum de corona Bohemica sperandum siet. Apud N. resolutionem petendam, an Elector Palatinus & consortes certiorari debeant, num videlicet, rebus in Bohemia rite constitutis, N. alias quoque conditiones in effectum deducere debeat, alias enim Bohemiæ delegatos profectionem suam temere suscepturos.

An cum Electore Palatino & Marchione Badensi, de nuptiis N. cum N. conferendum siet.

Eo spectandum num videlicet Ecclesiastica quædam occasio sese obferat pro Cardinali N.

Anhaltinum promoturum, vt Bohemiæ Ordines quamprimũ ad N. legatos suos mittant, cum oblatione coronæ, erga non ignotas conditiones, quodque Elector Palatinus pari modo legatum suum coniungat, ob articulum peccuniam & maiorem armaturam concernentem: vtque demum iste legatus Venetias, *ad præstanda illinc bonao fficia*, sese conferat.

Item, *omnem dandam operam*, quomodo Augusta Treuirorum occupari posset, vbi nullis parcendum sumptibus, & sub eo idonea subiecta vsurpanda. Exempli gratia, Anhaltinum, vel alium quemdam.

Vt Stadenses inducias violent, alias enim rem parum prospere successuram.

Nuptias, inter Hispaniam & Angliam, impediendas.

Pari tempore, sin Stadenses in Belgio inducias violent, & Veneriani Forum-Iulij inuadant, tum quoq; nullum non mouendum lapidem, vt bellum Mediolanense etiam inchoetur.

Bellum

Bellum Gallicum, ad expediundum hoc negotium, plus præstare, quam pacem. Maii An. C.M. DC.XIX.

Item, Hispanos tam timidos, vt ob impetrandas à Stadensib. inducias, nullis parsuri sient sumptibus.

Item, Punctum, propter Imperium & electionem, reseruandum, iuxta Anhaltini Principis oralem declarationem.

In aliis memorialibus, ab Anhaltino Principe manu propria notatis, reperitur, si N. in Bohemia Regem eligeretur; tum Alsatiæ cessionem progressum suum sortituram: Item: Coronam Hungariæ & partem Austriacarum Prouinciarum Electori Palatino ipso facto cessuram.

Porro: quæ Anhaltino in suo reditu obseruanda.

I. Quomodo cum electione Mœno-Francofurtensi comparatum siet, an procedat, nec ne: num Electores, & Ferdinand. in persona propria conueniant, & quomodo is, Ferdinandus, admitti debeat.

II. In quib. terminis Vnionis, Ferdinandi, exterarumq; nationum conscriptiones militarium Copiarum consistant.

III. Status Bohemicæ essentiæ, tam bellum, quam interpositionis negotium concernens.

Item, *quæ Electori Palatino, Bohemorum gratia, expediunda.*

I. Resolutionem dandam, an nimirum Elector Palatinus illud pro se prætendat, respectu Regis Angliæ, quo in casu expectandum, quid Rex in re facturus, vel intermissurus esset.

II. Vel an N. mediantibus conditionibus de quibus supra,

III. Aut an in Statu Reipubl. relinquendum.

Plura mihi Anhaltino ipsi obseruanda.

I. Quid in genere, an res adhuc ad pacem inclinet?

II. Initamenta ad Ens.

III. De reiectione cum Bohemiæ Ordinibus. NB.

IV. Dies Collegialis.

V. Armamentum.

VI. Mansfeldium iuuandum.

VII. Anglia ratione Bohemiæ, & ratione matrimonij.

Ne autem in genere sciretur, quo Anhaltinus profectionem suam dirigeret, & cur ad N. proficisceretur, itaq; externe prætendit.

I. Fieri id ob stabiliendam bonam Correspondentiã inter N N, N.

II. Anhaltini filio pensionem annuam accipiundam.

III. Transactio N.N.

Porro idem Anhaltinus, pro memoria, sibi adnotauit.

Maii A. C. M. DC. XIX. I. Ob integrum numerum Mansfeldicorum I V. peditum M. & DC. equitum atque continuationis ad N. impensas siue sumptus.

II. Vt M. CC. thalerorum M. vel in numerata peccunia, vel modo transportatorio, certo, atque cum continuatione fiat.

III. Occupatio Alsatiæ, vel deprecatio, & transactio.

IV. Venetianos ad adsistentiam & inuasionem flectendos.

V. In Italia hoc negotium potissimum fomentandum, & eo cumprimis spectandum, an non noua tractatio queat institui.

VI. De hoc negotio non recedendum: quemadmodum & Correspondentiam non prætermittendam, vt cuilibet innotescat, in quibus res versetur terminus. Item: filium meum Anhaltinum in Italiam mittendum, tam ad promouendum negotium, quam ad Prouinciarum perlustrationem, cumprimis Romæ & Neapoleos.

Quæ consilia, ad Bohemiæ Ordinum postulata, & Anhaltini probabilem bonam promotionem, certo quodam in loco habita, & decreta fuerint, id ipsius testatur additamentum, lit. H. sequentis ferme tenoris: Hisce diebus, ad petitionẽ Bohemiæ Directorum, ardua in Consilio agitata fuisse, quo pacto nimirũ Bohemi sese ab obseq o dom⁹ Austriacæ liberare possint: magnã quoq; disputationẽ incidisse, dũ potiores conclusissent, q̧ bellũ continuari, & cum Ferdinando nulla omnino tractatio iniri debeat, quemadmodum etiam Bohemos eum in finem rationem iniisse: Sin forsitan Ferdinandus & Hispani ipsos summa cum violẽtia ad obsequium cogere conentur, quæ tum ipsis hincinde expectanda forent auxilia? Alios in hac versari opinione, quomodo videlicet regnum administrãdum, graue fore autumantes, nisi idoneum caput in promptu, quod tam sua, quam suorum adhærentium potentia instructum, reique militaris apprime gnarum peritumque sit, vt eo fortius hosti resisti posset: ea propter lubentissime Regem sese exoptare qui ipsos non dumtaxat contra Austriam & Hispaniam, tam in Bohemia quam incorporatis prouinciis defendere, verum etiam, vrgente necessitate, dominium amplificare & dilatare posset, quo magis domus Austriaca debilitetur. Alios malle vt ob libertatem bellum istud susciperetur, quodq; Ordines imposterum nulli amplius regum iugo subiecti essent: Et hi quidem exemplo Stadensium in Hollãdia nituntur, qui ab initio quidem sub aliquot Principib. (*vtpote sub Matthia, Alenconio, Guilielmo Auraico &c.*) istiusmodi gubernandi formam experti, & denique liberta-

tes suas in forma Reipublicæ contra Hiſpanorum potentiam tutati eſ- Maii
ſent: nihilominus tamen, etiamſi nulli certo Principi ſubiecti fuerint, A. C. M.
auxilia ab exteris aliquot Monarchis atque Principibus impetraſſent: DC XIX.
minime itaque deſperandum licet ab initio res aliquanto tardius minuſq; pro voto ſuccedant, in Hollandia ſiquidem etiam anno primo non omnia feliciter ſucceſſiſſe. Catholicos, & paucos aliquot dumtaxat SVB VTRAQVE, malle, vt cum Ferdinando tranſigeretur, & conditiones in arctum cogerentur: metuendum enim eſſe, quod, ſi forſitan Ferdinandus palmam violenter obtineat, de omnibus tum ipſorum Priuilegiis atque libertatib. actum ſiet. Hiſce tamen minime conſideratis Ferdinandi Commiſſarios re infecta dimiſſos eſſe: iamq; rem in iis hærere terminis quod Bohemiæ Ordines cum amicis ſuis deliberaturi ſient, quid videlicet ipſis factu opus foret: quem in finem etiam in Angliam, & ad alios Confœderatos, ſuos legatos ablegaſſe: iam etiam ipſos N. N. opinionem ſententiamque præſtolari, adeo vt ſperandum, ſi conſilio NN. obtemperauerint, rem tum ipſis feliciter proceſſuram. Interea cum Hollandicis Legatis & Sereniſſimo Domino Electore Saxoniæ nullam nō tractationem negligunt: NN. autem hoc in negotio admodum caute agere, & ab Directoribus omnia in arcano ſeruari. N. puncta & conſiderationes fuiſſe detectas, ſed in conſilio rē nimis lente agitatam fuiſſe, adeo vt N N. poſtulari neceſſum habuerint, quib. omnia hodierni Bohemici Status particularia negotia communicata fuerint: de quo diuerſas latas eſſe ſententias, quibus in conſilio grauiter perpenſis quoſdam ſtatuiſſe, Bohemos intentionem adhuc bene conſequuturos, etiamſi nullum regem eligerent &c. Item vniuerſæ ferme Germaniæ domus Auſtriacæ imperium tædioſum atque moleſtum eſſe &c. *& poſt nonnulla*:

Verum conſiderandum eſſe, etiamſi Bohemi bellum continuaturi, & per vnum vel alterum annum auxilia extera impetraturi ſient, impoſſibile tamen ipſis deinceps fore vt Ferdinando amplius reſiſtāt, ſed tamdem, cum iactura omnium ſuorum Priuilegiorum atq; libertatum, victos & coactos fore: Quocirca ipſis ſuadendum vt hoc tempore cum Ferdinando tranſigant, & ſuo tempore meliorem conducibilioremque occaſionem expectent: Cum enim regni prouentus non adeo magni pretii, & Ordines non vnius opinionis ſient, de vicinis etiam nihil certi ſibi polliceri poſſint, iccirco bellum, licet ipſis magna fuerint promiſſa auxilia, non diu continuaturos, ſed multo potius,

populis

Maii An. C. M. DC.XIX.

populis exhaustis, Prouinciisque desolatis incultis atque deuastatis, postremo Ferdinando in spolium cessuros.

Aliis consultius visum fuit, si Bohemiæ Ordines bellum sua sponte gererent, & nullum omnino regē eligerent, (nullum siquidem proprias suas Prouincias atque populos ipsorum gratia posthabiturum,) sed vice versa omnem darent operam vt videlicet Silesiam, Morauiam, & Austriam ad suas partes pertraherent, vt ita Hungaris aditum intercluderent, & mala ab ipsis imminentia à finibus suis auerterent, cumprimis quod Hungari Austriacorum partibus adeo impense faueant. Pari modo & Vniti nullum non lapidem moueant, vt Archiduci Leopoldo aditum in Alsatiam intercludant, ne istis in locis ex Hispania & Belgio aduentantes militareis Copiæ transire queant. Si enim Ferdinando omneis aditus adimantur, Ordines tum facile Priuilegia atque libertates suas absque alicuius regis ope & adminiculo conseruare, immo Prouincias suas adhuc amplificare posse. Cōcludendum itaq; Bohemos liberorum Ordinum libertatem sibi vendicare debere, atque tum ab Hollandis & Imperialibus Ciuitatibus, aliisque Proceribus atque Principibus male erga domum Austriacam adfectis, omnem opem auxiliumque consequuturos. *Et hoc Conclusum Directoribus tum temporis tramissum est.*

Isti Consultationi quoqueporro interuenit; quum ex Persia noua, pacem concernentia, adferantur, iccirco amicitiam Turcorum Imperatoris hac sub occasione neutiquam negligendam: quodque potentia vel neruus istius portæ contra domum Austriacam omnino dirigatur: quemadmodum etiam Consiliarii Turcici eius rei caussa informati sient, & iam iam Turcorum Imperatoris resolutionem exinde expectari, cumprimis eorum, quæ illinc Transyluaniæ Princeps, Germaniæ caussa, proposuerit: nimirum vt militareis copiæ ad Hungariæ fines mittantur, Ferdinando eo ipso terror incutiatur, & Hungari intestino bello adeo periclitentur, vt pro Ferdinando in Bohemia non amplius pugnaturi sient. Item, Vienna adferri Ferdinandum admodum anxium sollicitumq; esse cum omnia eius consilia minus prospere succedant. In summa res ad sanguinolentum spectare bellum, à Bohemorum enim partibus vniuersum stare Romanum Imperium: & quamuis etiam, Bohemi, hactenus Ferdinandum semper ingentibus pollicitationibus, in quibus Ferdinando fidelitatem & obsequium obtulerint, lactauerint, nihilominus tamen contrarium fuisse verum, quod in caussa siet vt cottidie consilia cōferantur cumprimis ob inconstan-

tiam

etiam Morauiæ Ordinum, qui hactenus simulauerint, quasi à partibus domus Austriacæ starent, clanculum tamen cum Bohemiæ Ordinib. colluserint: id tamen in nupero Prouinciali conuentu hac occasione detectum esse, dum sese pro Bohemiæ Ordinibus manifestissime declarauerint: quo facto Comitem à Thurn cũ X. militum M. istis in locis hostiliter irruisse, & clanculum contra Ferdinandi militareis Copias aliquid molitum esse, rem tamen detectam fuisse: Parem molitionem contra Comitem Colaltum fuisse susceptam; quoniam autem Cæsareanus quidam Capitaneus operam suam Ordinibus addixerit, & Comiti Boucquoio familiarissimus fuerit rem pari modo minime pro ipsorum voto successisse. Maii A. C. M. DC. XIX.

Hæc & similia quidem principaliter ab Vnionis Confœderatæ Capitibus tractata, postmodum vero & cæteris Vnionis istius membris non minori ex parte communicata fuerunt: quemadmodum etiam in subsequenti Conuentu Heylbrunnensi non dumtaxat Bohemici Delegati comparuerint, verum etiam, quousque Bohemici negotii patrocinium suscipiendum esset, deliberatum fuerit. Ex eodem etiam Conuentu Heylbrunnensi, sub dato X. Iunii Anno Christi M. DC. XIX. Princeps Anhaltinus ita scribit: Bohemi quamprimum sese explicabunt, nõ solummodo in puncto reiectionis Ferdinandi, verum etiam quod & vlterius progredi necessum habeant: reiectionem & vlteriora tamen nondum processisse, quum interea Hispanicæ auxiliareis copię è Belgio aduentarint, Mansfeldium clade affecerint, & ita impediuerint, quod hac septimana (. X. & XX. Iunii Anno Christi M. DC. XIX.) Bohemici, Austriaci, & Morauiæ Ordines Confœderationes suas non concludere neq; easdem consueto iuramento confirmare potuerint: se, Anhaltinum, Bohemiæ Ordinibus suasisse, vt pro tempore sese adhuc continerent: Quoniam etiam Elector Moguntinus, vna cum Serenissimo Saxoniæ Septemuiro, Mœno-francofurti Romanorum Regis electionem maxumopere vrgeat, metuendum, ægre ad destinatum Scopum (*. de quo supra satis superque videre est.*) perueniri posse: nihilominus tamen iam Heylbronnæ de mediis tractari, quibus ad exoptatum finem (*. de quo supra.*) tamdem aliquando perueniatur: res, præterea, eo inclinare, vt de forti & vehementi quapiam resolutione, non contemnendum militarium Copiarum numerum concernente, cogitandum & prospiciundum siet: immo iam iam exercitum in promptu haberi, si modo N. in propositionem consensisset, eo ipso enim ali- Iunii A. C. M. DC. XIX. NB.

Iulius An.C.M. DCXIX. quot Vnitorum somnolentiam eo magis excitari potuisse: iam vero dum res ad extremam necessitatem vsque dilata &prorogata fuerit: ea propter præparationes & conscriptiones militareis nunc eo difficilius quam antea, parari.

„ Alias ipsi Principi Anhaltino minime est incognitum, qui porro Heylbronnæ apud Vnionis Ordines nomina sua professi fuerint, quur vni, vel alteri ex diuersis locis in Bohemiam proficisci non licuerit, & quod denique (.cum Anhaltina consilia partim minime successerint, partim vero armaturæ præparationisq; bellicæ sumptus Vnioni persoluendi fuerint.) Sub vato xv. Iulii decretum scriptumque fuerit: non amplius N. sed Electorem Palatinum in regium Bohemicum thronum collocandum: quodque Elector Palatinus inclinationem & fauorem, quem in Bohemis erga personam suam propriam toties persensisset, quemque iidem Bohemiæ Ordines non vna dumtaxat vice erga Electorem Palatinum detexissent, probe considerare, & eosd. Bohemiæ Ordines admonere debeat (*.vti ex peculiari memoriali, Sub dato Ambergæ* IV.*&* XIV.*Iulii* A.C. M.DC.XIX. *videre est.*) ne vlli pacis propositioni fidant, sed multo potius in bona sua resolutione constanter perseuerent, neque vllo modo ad segregationem vel discordiam ansam occasionemque præbeant.

„ Licet vero Vnionis Heylbrunnensis comemorati sumptus præparationis istius bellicæ in infinitum ferme adcreuissent, & Vnitis onus istud intolerabile visum fuisset: nihilominus tamen iuxta Anhaltini ad Electorem Palatinum, sub dato Ambergæ v. & xv. Iulii, tum temporis deliberatum consideratumque fuit: Etiamsi residuum solutionis Mansfeldicarum militarium Copiarum, per singulos menses LX. thalerorum M. merito Electori Palatino, & eiusdem Interessentibus, in emolumentum vergere & cedere debeat, nihilominus tamen Bohemos, sin rei comparatio ipsis detegatur, ista LX. thalerorum M. pro se prætendere posse: Econtra considerandum quoque esse Rempublicam in Bohemia hodierno statu in maxumis versari angustiis, & remedia in Bohæmia adplicata toti Reipublicæ profutura, quodque hæc omnia non magis in aliorum ratificatione, quam Bohemorum finali resolutione & declaratione (*. Regem Ferdinandum abdicandi, & Electorem Palatinum eligendi.*) adquiescere velit: iccirco ignorare sese (. Anhaltinum.) quur extremum istiusmodi remedium non magis permittendum, vel tentandum, quam vt apud Bohemos præiudicialis recessus,

sus, aut (NOTA BENE.) compositio siue transactio cum Ferdinando expectanda fiet. Iulius A. C. M. DCXIX.

Item, die eadem, quamuis ad personam aliam: Conuentum Heylbrunnensem, diuina fauente clementia, feliciter ad finem perductum, Vnitis nihil, nisi tempus, elabi: alias sese resoluisse, quod armaturam suam XI I. peditum, & II I. equitum M. cum certo tormentorum numero augere velint: sub quibus tamen peregrina auxilia minime intelligantur: insuper exercitus plus quam dimidiam partem esse conscriptam, cui Elector Palatinus, tamquam Generalissimus, Marchio Onoltzbachicus vero ceu Generalis fiet præpositus: sese, Anhaltinum, iam omni carere munere (*Generalatum tum temporis pro se ambiuit, quemadmodum illud ipsum officium ipsi, tribus post datas hasce litteras septimanis, ipso facto delatum est.*) nihilominus tamen omnia extrema tentaturum &c, ni aduersa valetudine impediatur, à latere Electoris Palatini ne latum quidem, vti aiunt, vnguem discessurum. Præterea Electorem Palatinum omnibus viribus potissimum eo laborasse, vt electio Mœno-Francofurtensis differretur: eum in finem cum Septemuiro Moguntino egisse, qui tamen Conuentum vehementissime ad destinatum tempus vrgendo promouisset, quodque Elector Palatinus in destinato consuetoque loco personaliter comparere debeat. Itaque res tamdem eo inclinare, quod sane de Cõuentu isto nihil aliud fiet expectandum, quã quod in eodem Ferdinandus multos fautores habere queat. Ex aduersa parte autem nihil intentatum rellictum iri, quin istis Ferdinandi fauitoribus istiusmodi difficultates (*Subintellige Bohemorum Protestationem, quod non Ferdinandus, sed Bohemiæ Ordines ad Electorale Collegium admittendi.*) obiiciantur, quæ, si in proposito suo perrecturi essent, ipsis multum negotii, laboris atque molestiæ facessere poterint. Restantes militareis copias, adhuc conscribendas, cottidie conuenire, atque, vti adpareat, Vnionis exercitum non tam cito Sacramento iterum absolutum iri. Optumam quoque nunc esse coniunctionem, quod Vnitæ siue Confœderatæ Prouinciæ Pragæ, ad angustam Vnionem concludendam, conuenissent. *Item, in Anhaltinis litteris ad Tschernembelium, ex Amberga, sub dato XIV. Iulii &c.* Confidentium vnum Pragam versus profecturum: Interea Tschernembelius sub silentio Anhaltinum certiorem faciat, an non cum fiali Confœderatione, eiusdemue conclusione, ad euentum electioni Mœno-francofurtensis forsitan spectetur, eum potissimum in finem, quod euentus peculiarem rei mutationem & formam daturus est.

Cariths. NB NB

Iulius A. C. M. DC. XIX. *Quo melius & magis autem illud Ferdinandi impedimentum promoueatur, porro inter alia consideratum:* Vt Ciuitatis Mœno-francofurtensis habeatur ratio, & electio omnibus modis impediatur, *vti D. Camerarius in sua epistola ad Principem Anhaltinum, sub dato 11. Iulii An. C. M. DC. XIX. inter alia hisce verbis mentionem facit:* Et Electoris Palatini sub itinere (. *tum temporis Heylbronnæ dissessum fuit.*) accepto mandato, nupero elapso die Lunæ in continenti Mannheymium versus profecti sumus, vbi similiter circa vesperam Elector Palatinus, & mox MAVRITIVS Hassiæ Landgrauius nos subsequuti sunt: ast præter familiaria colloquia, sub istam vesperam, de publicis nihil omnino tractatum: perendie vero non mediocres sane orationes exauditas esse in quibus Inlustrissima sua Celsitudo (. *Mauritius.*) digressum (. *Heylbronnæ.*) IV. hisce conditionibus ratum habere voluerit: I. si termini ad soluendum aliquantulum sibi prorogarentur. II. assecuratio assistentiæ daretur tempore vrgentis necessitatis. III. Si cum conscriptione copiarum militarium pluris æstumaretur, & IV. priuata sua negotia etiam effectuarentur: Cætera dumtaxat discursum quemdam de Vniuersali Conuentu Euangelicorum & de electione fuisse, cum obtestatione: Electorē Palat. Mœnofrancfurti in persona propria neutiquā comparere debere.

NB. Quamuis etiā ante suscepta Vnionis armatura, cumprimis ad tempus q; attinet, nimis sero allegata fuerit: nihilominus tamen in medium al-
" latum fuisse: cum illa (. armatura.) Ferdinando obuiandum. Mœno-
" francfurtum vndiq; cingendum, & electionē omnib. modis impedi-
" endā esse: & quæ plures istiusmodi speculationes fuerint: cum iisdem n. integrum diem transactum, donec conditiones mediocriter cōprehensæ, &, ad Landgrauij petitionem, in recessum redactæ fuerint. Cū a. res ad subscribendum ventum esset, Landgrauium se quieti composuisse, Electorē Palat. vero noctu illinc se effisse, versus Cæsareo-Lauteram sese contulisse: Pari modo & Landgrauium illinc cum comitatu suo digressum esse, & Camerarii conceptū, digressum concernens, secum sumpsisse: itaq; Palatin. Cōsiliarios dubitare, num modo commemoratus Lādgrauius digressū maturaturus fiet, nec ne. Cum hoc Dño, pergit Camerarius, nihil omnino posse effici, id q; Deo commendandum, & meliora indies speranda esse. Ieic, (. *Heydelbergæ nimirum.*) ob temporis angustiam, neminem non eē sollicitum, adeo vt, quomodo videlicet res inchoandæ fient, pertus ignoretur: Consiliarios anxios esse, &, si neruus dissoluatur, Electorem Palatinum tum omnia o-

nerat-

nera solum portare necessum habere, qua de re eumdem Electorem reddi pusillanimum, se vero, Camerarium, melancholicum &c. Item, minime se videre quomodo Septemuir Palatinus in termino diei electionis hinc emigrare possit, quum interea nulla omnino præparatoria facta fuerint, adeo vt res pene floccipendantur: quæres se, Camerarium, tristem sollicitumq; admodum teneat: sin enim Elector, durante electione Mœnofrancofurtẽsi, Heydelbergæ permansurus fiet, tum, quod personaliter non compareat, graues importunitates ipsi imputatas iri, vt iam taceat, quod prætextus excusationis facto contrario omnino iterum tollatur: versamur itaq; (*inquit Camerarius*) vbique inter sacrum & saxum: Deus largiatur recta (*tecta*) & salutaria (*Camereria*) consilia, &c. Iul. A. C. MDC.XIX.

Et porro idem ille Camerarius: Mœnofrancofurtenses cum Waldtmanshusio tractasse, & magis promisisse quam Heylbronnæ obtinere potuisset, ita ciuitates tractandæ sunt, &c. Argentinenses cc. milites mittere, quos iam in loco fore: Philippum Rheni Comitem per ministrum Heydelbergæ II. florenorum M. anticipata velle: ignorare igitur sese num Electores & Principes in istiusmodi petitionem consensuri sient: super hoc etiam Domino non adeo forte fundamentum struendum.

Pari fermeratione, ad obsidionem ciuitatis Mœnofrancofurtensis quod attinet, *Marchio Onoltzbachicus, sub dato* XXVI. *Iulii, scribit, postquã ad ipsum allatum esset, D. Solmenses equites, qui contra inobsequiosos Bohemos militare debuerant, aliquantulùm retrogressos fuisse, inquiens*: Sin res ita comparata siet, quodq; isti equites versus Mœnofrancofurtum retro iter suũ dirigere debeant, varias sane mihi cogitationes res ista excitaret, an non forsitan occasio requisitura esset, quod & nos quoque, nostra (*Vnionis*) ex parte, illa ad loca nosmet conferre necessum habeamus.

Quomodo itidem cum militari præsidio Mœnofrancofurtensi, sub durante electionis die, comparatum fuerit, id ex Ian-Albrechti, Solmensis Comitis, sub dato XIV. *Iulii A. C. MDC. XIX. litteris sequentibus verbis deprahenditur*: Huius loci præsidium, inquit Solmensis, cum primis vero Officiales, (qui maiori ex parte Electoris Palatini NB. NB. ministri) Ecclesiasticis maxumopere esse suspectos, non enim Vnionis discretioni lubenter sese suaque commissuros, &c. Id Electorem Moguntinum Mœnofrancofurtensibus innuisse, cum primis vero tum temporis, dum Waldtmanshusius, obiectis repagulis, equitatum Moguntinum, an non forsitan sub isto NB. NB.

Iul. A. C. conscripti aliquot equites inueniẽdi essent, visitasset, & D. armatos e-
MDC.XIX. quites, sub imperio Cratzij, deprehendisset. Ob id indignabundo Moguntino Septemuiro eumdem, Waldtmanshusium, respondisse hac præmissa excusatione, quicquid fecerit, sese ex mandato suorum Dominorum fecisse: Eadem autem de caussa Electorem Coloniensem fuisse offensum, & non prius Francofurtum ingredi voluisse, donec sufficienter instructus fuerit, præsidium illud ciuili Magistratui sese Sacramento militari obligasse: & tum prius Mœnofrancofurti ingressum, biduo autem ante in arce Regio-Saxensi commoratum esse, &c.

Postquam igitur omnes Vniti Heylbronnæ, vti supra commemoratum, collectis rationibus facile nunc animaduertissent, quod sumptus suæ præparationis bellicæ, in proprium suum Bohemorumque emolumentum, non adeo magno peregrino auxilio, vti quidem ipsis persuasum erat, sed soli erogare necessum haberent, apud Vnitos quoque qui istiusmodi oneris impositionem minime sperassent, animi fluctuare cæperint: iccirco Triumuiri rem eo direxerunt, vt Stadenses in Hollandia ad Vnitos confœderatosque Electores, Principes, & Ordines, sub dato Hagæ xv. Iulii A. C. M. DC. XIX. sequentia exarauerint: Sese, Stadenses, Vnitorum Principum Collegio (*quos tam in exordio, quam in subscriptione istarum litterarum confœderatos suos nuncupant*) antehac conseruationem præsentis regiminis gestarumque rerum in Bohemia serio recommendasse, ac simul aliquot motiuas, caussasque impulsiuas, allegasse, quur videlicet Vnio, ne seipsam in ruinam præcipitare velit, negotij istius Bohemici patrocinium summa industria suscipere debeat, cumprimis quod non dumtaxat huic incendio aliquanto viciniores sient, verum etiam quum facile apud sese colligere possint, quod, communis hostis, si forsitan palmam victoriamq; obtinere debeat, eo ipso non contentus esse possit, sed multo potius vicinos sub idem iugum trahere, atq; adeo, sub hac ipsa occasione, Christianam relligionem funditus extirpare conetur: hoc enim consilium iamdudum ipsum præmeditatum, & sub isto prætextu variis artibus technisque vsum fuisse, atq; tamdem hoc ipso eo maiorem animum sumpturum, cumprimis si animaduertat, quod Bohemiæ Ordines eorumdemve confœderati ope auxilioque destituerentur. Iuxta illa probe quoque considerandum præcipuam maximam & rationes status eo potissimum inclinare, quod nimirũ hostis potentia non in proprio suo territorio expectanda, sed diuersione, quantum quidem fieri posset, à proposito suo arceatur. Quamuis etiam, Stadenses, minime dubitent, Vnitos Electores, Principes, &

Ordi-

Ordines, pro singulari sua prudentia & zelo, omneis istiusmodi caus- Iul. A. C.
sas impulsiuas mature satis antea perpendisse: nihilominus tamen, MDC.XIX.
quum III. Euangelici Bohemiæ Ordines ipsorum opem atq; auxilium implorassent: iccirco neminem sibiipsis versurum vitio, quod priorem istam suam recommendationem iam denuo repetant, officiose & humiliter petentes & rogantes, vt rei huius consequentia non solummodo mature perpendatur, verum etiam illud probe consideretur, eodem hocce sub negotio tam relligionem, quam S. Rom. Imperij libertates atq; Priuilegia in summo versari discrimine. Quamobrem Vnionem Bohemiæ ordinum patrocinium non immerito suscipere, omnibus viribus ipsis succurrere, minimeq; permittere debeat, ne forsitan, si vndiq; sese ita desertos videant, ex pusillanimitate talem resolutionem concipere necessum habeant, ex qua Reipub. non exiguum dumtaxat damnum detrimentumve inferri queat, alijq; etiam interessentes Reges, Principes, & Ordines deterreantur. Econtra vero si viderint Vnionem suo non defuturam officio, & ij vicissim Bohemiæ ordinibus omnem opem auxiliumq; præstituri sunt: immo confœderatas Prouincias Belgicas istiusmodi adfectionem ad prosperum statum conseruationemq; huius Regni gerere, vt etiã sua sponte promiserint & fidem suam obligauerint, sese talia sane subsidia & adsistentiã toties nunc commemoratis Bohemiæ ordinibus præstituras, quantum quidem præsens occasio, & propriæ suæ rei cõstitutio permissura fuerit, id quod etiam, diuina adsistente gratia atq; clementia, ita in effectum deducturæ sient. Omnes præterea amicos atq; confœderatos suos obnixe rogasse, vt simul vna cum Vnionis membris tam arduum negotium probe perpendere, & tandem contra communem hostem Bohemiæ ordinum protectionem in se suscipere minime dedignarentur.

Equidem in nupera Cæsarea electione Mœnofrancfurtensi ipse "
Elector Palatinus tum temporis coram ipso Rege Ferdinando aliisq; "
Electoribus & Principibus promotionẽ istius electionis serio est pol- "
licitus: verum cõsilia multo aliter cõparata fuerunt: nimirũ vt electio "
in Romanorũ Regem (vti supra ostẽdimus) semper impediretur: quo "
circa Palatina consilia eo potissimũ spectarunt ꝙ videlicet Bohemi de "
legatos suos ad electionem Mœnofrancfurtensem mittere, votumq; "
& sessionem peterent. Item: Bohemicam controuersiam prius compo "
nendam esse quo melius pax, quies, atque concordia in S. R. Imperio "
conseruentur, & grauamina rite ac decenti ordine iterum tollantur. "
Verum techna fuit Caluinistica, vt non dũtaxat dies electionis, verum "

Iul. A. C. etiam subsequentia comitia impedirentur: Palatinos enim minime latuit, Bohemis neque votum neque sessionem permissam iri, ea ipsa cumprimis de caussa quod Rex Ferdinandus non solummodo ab ipsis Bohemis, sed etiam ab Electore Palatino, omnibus ac singulis in legitimum Bohemiæ Regem electus atque admissus fuerit. Quocirca consilia eo potissimum ast clanculum inclinarunt, quod prius Rex Ferdinandus reiiciendus, de possessione remouendus, & denique omnino gradu atq; dignitate sua iterum priuandus esset. Altera caussa (Bohemicam controuersiam ante electionem Cæsaream accommodandam siue componendam) Electori Palatino eiusque intimis consiliariis Caluinisticis tam parum curę cordique fuit, quam dies atque nox, album vel atrum, vel vti Caluinus, Plesseius, Camerarius, Princeps Anhaltinus, &c. vnquam catholicæ relligioni bene cupierint: adeo vt vniuersus terrarum orbis externas istas prætensiones Caluinisticas in omnem posteritatem non satis mirari poterit, vt verus Christianus etiam contra propriam suam conscientiam tam enormes actiones sibi præsumere ausus fuerit: Supra enim & in subsequentibus satis superq; demonstratum atque deductum est quod non solummodo tum temporis, sed etiam tempore Matthiæ Imperatoris ante annum tam Electoris Palatini, Anhaltini, & Onoltzbachici consilia, in: & extra S. R. Imperij limites, quam Bohemicorum rebellium Principalis intentio eo potissimum directa fuerit, quo pacto videlicet domus Austriaca non dumtaxat à corona Bohemica, verum etiam ab omnibus eius incorporatis Prouinciis excludi, deprimi & extirpari, & econtra Caluinistica relligio & somnia omnibus in locis introduci, Romano-Bohemica corona in aliam personam transferri, & denique si Romana electio non impediri posset, quod tum extrema tentanda, & Bohemica abdicatio exsequenda fiet.

MDC. XIX.

Ast vere quis nunc dicat, quomodo nimirum motus isti Bohemici cum domo Austriaca ante Romanam electionem componi potuerint? Excepto quod interea isti Triumuiri, vna cum Vnione Caluinistica, grandem suam præparationem bellicam, tam exterarum, quam indigenarum gentium promouere, Catholicos in Imperio hostiliter inuadere, Alsatiam occupare, Bohemos in pertinacia sua corroborare, in S. Ro. Imperio, pellectione Turcici Vasalli Gabrielis Betlehemi primatum adipisci, tempus lucrari, Electorem Palatinum in Regem Bohemiæ eligere, in Electorali Collegio & electione Romanorũ Regis nouas maioresq; difficultates excitare conati fuerint: tum etiam vt idem

idem Septemuir Palatinus penes suum, etiam Bohemicum votum de Iul. A.C.
facto impetrare, &, quum Brandeburgico voto alias præpolleat, eo fa MDC,XIX.
cilius media habere posset, quo melius ad alium sibi per omnia placé- "
tem coronam Romanam transferret. "

Tertia caussa, vt nimirum ante Romanorum Regis electionem "
grauamina tollerentur, seipsam declarat ex Electoralibus Palatinis "
consiliis, natura & proprietatibus, quas erga pacem & concordiam ha "
ctenus declararunt, & contra propriam suam voluntatem vniuerso ter "
rarum Orbi in sui ipsius opprobrium & ludibrium manifestatæ atque "
detectæ sunt: nimirum modo vt cum iactura temporis, molestiæ atque "
laboris eorum, bene adfectorum, suam intentionem consequerentur. "

Et sane vnicuique tum temporis peregrinum visum fuit, quod Elector Palatinus, ad indictum diem electionis versus Mœnofrancofurtum, sub prætextu limitum contra Bohemiam præmuniendorum, Ambergam vsque progressus fiet: si enim in forma, istis sub occasionibus consueta, factum esset, minus tum indicij & notitiæ metuendum fuisset: Quod autem ipsa Principissa, vna cum iunioribus hæredibus, toto gynæceo, ac vniuersa ferme aula, in tam magnificentissimo apparatu, decore & splendore profecta: Electorales Palatini thesauri, præstantissima maiora minoraq; clinodia, aurum, argentum, insignes tapetes, aliaq; pretiosissima deducta: Heydelbergæ alius Electoratus vicarius constitutus, & subditis valedictum fuerit: id modo commemoratis Palatinis tantum sane peperit cordolium, quod non solummodo magno Cancellario res ab initio, vti aiunt, displicuerit, sed etiam quibusuis lachrumas extorserit, dum ijsdem deplorandus status sui Magistratus, eiusdem populorum & dominiorum, cum vicinis omnibus compræhensorum, certa infallibiliaq; de se prodidit præsagia. Alij minime interessentes facile animaduertere & colligere potuerunt, apparatum tam insignem peculiare festum lætitiæ denotare, aliudq; sub isto specioso prætextu latitare, quod etiam paullo post detectum est, quoniam Elector Palatinus ipsiusq; Consiliarij electionem Mœnofrancofurtensem summo quidem cũ cordolio non amplius impedire potuerunt: iccirco longe ante præmeditata sua ad coronam Bohemicam cõsilia cum promotione neo-putatitiæ electionis (omnia sane cũ externo prætextu ordinariæ cuiusdam Bohemicæ electionis, de qua ipsi Electori Palatino ne verbulum quidem constitisset) in effectũ deduxit, coronam, iam ante suis suorumq; technis adeptam, tam insigni pompa, gaudio, & lætitia, sibi & Principissæ, immo denique filio suo

Iul. A. C. MDC.XIX. primogenito (qui tamen postea ad Stadenses & Nassouiæ Comites deductus fuit) imponi passus, & ita tam ipso regno, quam regia arce (Pragensi) potitus est: id quod merito omnis vere Christianus perpendat, & mirabilem hanc astutiam, atque quousque tamdem Deus Ter Optimus Maximus hominem, perniciosa & minime excusabilia istiusmodi consilia meditantem, confundat, & de throno in imum iterum præcipitet, sedulo agnoscat.

In paullo ante commemorato Electorali Palatino exultabundo Comitatu versus Ambergam, in superiori Palatinatu, inter alios quoq; sæpius nunc à nobis commemoratus D. Camerarius, intimorũ Consiliariorum & Coryphæorum tanti infortunij vnus, iuxta Palatino-Electoralem constitutionem, ceu Cancellariæ bellicæ Director primas obtinere debuit: verum illa ipsa Electoralis resolutio, iuxta magni Cancellarij illius à Grün manum propriam, ad eumdem D. Camerarium, paullo post immutata, & eidem profectio ad electionẽ Mœnofrancfurtensem ad minus tam diu iniuncta est, donec videatur, an videlicet certa quædam electio processura fiet, necne, & tum nihilominus Camerarium profectionem suam maturare posse. Exinde igitur idem ille Camerarius, ansam occasionemque nactus, rei suæ nunc inuigilandum statuit: etiamsi enim apud futurum suum regem multo maiores diuitias & dignitates, quam quod postmodum Vice-Cancellarius Silesiacus factus, eidemq; egregia quædã domus Pragæ donata fuerit, nihilominus tamen in præsens sibi inuigilando prospexit, & apud Principem Anhaltinum, sub dato x. Iulij A. C. MDC. XIX. suas Heylbronnæ propositas, &, ob Cancellariam bellicam, sibi reseruatas conditiones prius ratas habere voluit, pari modo quemadmodũ illud cum sui generis simili socio, Hippolyto de collibus, in expeditione Gallica, menstruo cum stipendio, equis, &c. seruatum fuerit: *inter alia hæc verba formalia ab ipso annectuntur*: Ad publica quod attineat, Mauritium, Hassiç Landgrauium, Mannheymij, & nuperrimo tẽpore Mœnofrancofurti, miris actionibus fuisse implicatũ: non medioxume dolendum igitur, quod hic Dominus tam sibi, quam Reipublicç tam parum profit: *Item in punctis sibi, Camerario, reseruatis, & ab Anhaltino V. Iulij Electori Palatino inclusis hæc reperiuntur:*

» Quum ego Camerarius hactenus in omnibus Imperialibus, Se-
» ptemuiralibus, Electionis, Vnionisque Comitiis præ omnibus ceteris
» Electorali-Palatinis consiliariis assidue vsurpatus fuerim; ipsa igitur

æquitas postulat, vt in hodierna electione Mœnofrancofurtensi non Iul. A. C.
dumtaxat cum plenipotentia immiscear, verũ etiam in designatione MDC.XIX.
personarum, tam apud Moguntinam, quam futuram Imperij Cancel- "
lariam vsurper, &c, ita vsitatarum cõmoditatum, apud nouam electio- "
nem Electoralibus ad eamdem deputatis consiliariis competentium, "
per omnia fiam particeps. "

Quid autem Camerarius, alijq; Palatini versus Mœnofranco-furtum deputati Consiliarij, vtpote: Ian Albrechtus Comes Solmensis, magnus aulæ Palatinæ Magister, Grũnius magnus Cancellarius, Volrathus Plesseius, &c. externe prætenderint, & interne moliti fuerint, id partim supra commemoratum est, partim vero magis declaratur ex Electoris Palatini ad Principem Anhaltinum, sub dato IIIX. & IIIXX. Iulij A. C. MDC. XIX. litteris, in quibus Elector peculiaria aliquot subiecta ad Imperium proponit, & tamdem ita concludit: Acci "
piat, inquit, Romanam coronam quisquis volet, nisi modo Ferdinan- "
dus ille fiet, nauci se curare, vt saltim domus Austriaca eamdem non "
retineat & pacta Austriaca corruant: eum in finem siquidem Bohemi- "
cas & Austriacas Prouincias bellum meliori fundamento continua- "
turas, & ipsis Euangelicos S. R. Imperij Ordines, Ferdinando non ob- "
ligatos, auxiliatrices manus eo tutius securiusve præbituras. "

In altera Palatina epistola, exhibitum Principis Anhaltini memoriale concernente, Elector Palatinus de articulis mentem suam ita
aperit: placere sibi quod memoriali inserti articuli (Bohemicæ ele- "
ctionis, interuentionis Mœnofrancofurtensis, & abdicationis caus- "
sa) per commemoratas personas locis competentibus (in Bohemia a-
pud Ruppam, aliosque confidentes) summo silentio fideliter propo-
nantur: interim tamen Princeps Anhaltinus rem ita disponat, vt diffi- "
cilima & periculosissima ista negotia summa cum prudentia detegan- "
tur, atque ipse, Palatinus, non tantopere neque publice immisceatur, "
ex caussis, quas Anhaltinus ipsemet facilime & prudenter secum pos- "
set perpendere, in singulari consideratione quod Bohemi in extremis "
istis angustiis & calamitatibus N. propositionẽ acceptaturi, & eidem "
coronam oblaturi sient; quo facto eosdem in magna incertitudine "
nunc, vti & antea, versaturos, eaque ipsa de caussa magnos irrequie- "
tos motus exorituros, qui Euangelicis, potissumum vero Vnitis non "
leue saltim damnum detrimentumve illaturi essent.

Iul. A. C. MDC.XIX. Orschinovvskyus legatus Bohemicus, vna cum aliis, ad Vnionis conuentum Heylbronnam missus.

Porro toties nunc commemoratus D. Camerarius, XIV. & XXIV. Iulij A. C. M. DC. XIX. ex Mœnofrancfurto de electione ita scribit: Orschinoswskyus maxumopere conqueritur, quod Vnionis Ordines tamtam Hispanicarum militarium copiarum multitudinem per Imperium proficisci permiserint, quæ Bohemiæ ruinam & extremum excidium iam iam minetur, &c. Exinde colligi posse Bohemis bellum etiam ab initio tædiosum esse, quemadmodum plerumq; fieri soleat, si finis rei mox decernatur, & nihilominus tamen tempus & occasio prętermittantur: quo pacto autem pax & confœderatio simul adeo cō mode cōseruari possent, sese, Camerarium, non videre: Ferdinandum prosperam suam fortunam non posthabiturum, Anglicanum namq;
„ Legatum mox lucratum esse, quem Mœnofrancofurtum versus mise-
„ rit, omnemque ei aditum ita præsciderit, vt non in rem præsentem ve-
„ nire &, loco ordinum, fundamenta (*qua ipsis Princeps Anhaltinus in cala-*
„ *mum dictitarat*) percipere potuisset, de quibus tamen expressá manda-
„ ta habuisset: Francofurti lentum negotium, & dimidiam, vel multo
„ potius fucatam speciosamque tractationem fore: à Britannicis actio-
„ nibus non minus metuendum periculi, siquidem eumdem, legatum
„ Anglicanum, summo sub silentio fideliter communicare, Regem An-
„ gliæ ad Saxoniæ Electorem scripsisse, & inter alia in ijsdem litteris
„ mentionem fecisse, Ferdinandum semel Bohemiæ Regem, & rem
„ mali exempli esse, nisi Euangelici Bohemiæ Ordines, saluis Priui-
„ legiis & relligione, sese submitterent: Sectari, Anglum, Orato-
„ rem, Hispanici Legati familiaritatem bonamque corresponden-
„ tiam, & Mœnofrancfurti iuxta ipsum diuersorium suum quærere: hāc
„ familiaritatem sibi, Camerario, neutiquam placere: euentum rei il-
„ lud probaturum: Euangelico-Bohemicos Ordines legatos, ad insi-
„ nuandum protestationem suam contra Ferdinandum, mittere cum
„ tamen multo potius istiusmodi requirantur homines qui de rei sum-
„ ma verba facere & respondere possint: immo ipsos Saxonicos delega-
„ tos Ordinum Bohemiæ legatos ab electione minime excludere, nec
„ ad colloquium admittere velle, priusquam de pace tractatum fuerit,
„ quod si non fiat, tum Electorem Saxoniæ ægre Mœnofrancofurtum
„ versus venturum esse. Deus Ter Opt. Max. faxit vt in ista resolutione
„ constanter perseuerent, eo ipso enim electionem bene adhuc aliquan
„ diu dilatam iri: Septimanam hanc quasi alea esse perditam, nil agendo
„ enim transactam: sin ad actionē deueniat, lentum tunc erit negotium:

nam

nam & Saxonici Legati generali dumtaxat instructione nitũtur, & noua emergentia retro ferre coguntur: se, Camerarium, ipsos (*. Legatos.*) per Dei gratiam bene fulciisse, bene itaque etiam ipsos imposterum intonaturos, modo cantilenam cantando absoluere iuuarent: D. Solmenses equites profectionem suam per Bambergense & Neoburgicum territorium suscipere, qui Electorem Palatinum & Principem Anhaltinum tacturi sient, bene atque prudenter igitur, quid facto opus, considerandum, illud quod Bohemis promissum fuerit(*. scilicet Heylbronnæ in Vnionis Conuentu.*)seruandum, & nihilominus hostilitates non temere incipiendas esse. Iulius A. C. M. DC. XIX.

Idem ille D. Camerarius, v. die Augusti, Noui, & XXVI. Iulii, Veteris Styli. Anno Christi M. DC. XIX. ad Principem Anhaltinum ita scribit: Electorem Moguntinum, respectu Ecclesiasticorum, aliquanto durius sese resoluisse, quod seculares Electores non mediocriter tangat, dum ad breuem temporis terminum adstringantur: Si itaque nullæ, vel saltim contrariæ resolutiones coinciderint &c. metuendum, Ecclesiasticos electionem maturaturos esse: Saxonis autem resolutionẽ sese lubentissime auditurum, &, si Serenissima ipsius Celsitudo in priori sua sententia constanter perseueret, omnino speraturum Ecclesiasticos adhuc in arctum & citius ad aliud subiectum cogi posse, quam vt Ferdinandi caussa secessionem facturi vel conuentum istum reinfecta interrupturi sient. Vereri tamen sese Camerarium, Serenissimum Electorem Saxoniæ mutaturum, cumprimis si in persona propria Mœno-francofurtum versus venturus fiet, quod vt fiat Ecclesiasticos nullum non mouere lapidem, & ipsius Celsitud. eius rei gratia per peculiarem quemdam cursorem incitare: quemadmodum etiam ipsi Saxonici Legati Dominum suum Mœno-francofurtum versus exoptarent: sese, Camerarium, antehac, antequam Mœno-francofurti conuentum fuisset, inter alia sæpius admonuisse, an non præsente adhuc Electore Palatino in Superiori Palatinatu Serenissimum Dominum Septemuirum Saxoniæ in persona propria visitare, eumdem in vna, vel altera parte ad suas partes pertrahere, cumprimis vero ipsius votum obtinere posset. Quem in finem Electorem N. etiam eo summopere adlaborare, vt forsitan N. Septemuirum ad suam intẽtionem commouere queat, apud quem sese, Camerarium, attamen tumtaxat per indirectum, & absque personæ nominatione sedulo institisse, eoque ipso ad minus Electorem istum N. ad considerationes quasdam Augusti. A. M. DC. XIX.

August. commouisse: an autem sæpius nunc commemorata propositio & in-
An.C.M. tentio adhuc in effectum deduci posset, id Anhaltinum, in emolumē-
DC.XIX. tum Electoris Palatini, commonstraturum &c. Apud Ecclesiasticos,
„ Electores, omnia ad Ferdinandi electionem inclinare &c. Deum, ar-
„ canorum scrutatorem, rem directurum: *Ipse faciet, illi autem sunt filii ho-*
„ *minum*: Legatum Anglicanum cum Ambassatore Hispano tam ore te-
„ nus, quam per nuncios sedulo communicare, & eo potissimum labo-
„ rare, vt ipsius Rex pacificationem inter Ferdinandum, & Bohemicos
„ Euangelicos Ordines obtineat, petatq; vt Elector Palatinus per suos
„ Mœno-francofurti commorantes Legatos admoneatur, vt pari mo-
„ do Bohemos ad id disponat: Sese, Camerarium, diuersimodas exinde
„ vereri sequelas, quæ Reipubl. aliisque bonis intentionibus (.hoc est
„ *abdicationi Ferdinandi, nouæ electioni Frederici, inuasioni* Ecclesiasticorum in
„ Alsatia, incursioni (.Rendeuous.) Herbipolensi, & occupationi Fori-
„ Iulii.) forsitan obuiare vel incommodare possint: Ambassatorem His-
„ panum Anglicano multo esse astutiorem, eumdemque blandis verbis
„ eo vsque potissimum lactaturum, donec Ferdinandus in omnib. suis
„ prætensionib. scopum suum attigisset, tum enim respectum sibi con-
„ ciliaturum, veluti Ratisponæ Monsieur Lesieur: Magnum Britannica-
„ rum Insularum Regem sumptus & pecuniam suam, quam hoc in tem-
„ pore ipsius Legatus insumat, melius collocare, si eamdem, clanculum
NB. tamen, bonis Bohemis sumministraret: Bohemorum Delegatos non-
„ dum Mœno-francofurtum peruenire posse, ipsorumq; ad Electorem
„ Moguntinum Protestationes & libellos supplices subtrahi, & nihil o-
„ mnino ad Consilium referri: summam rei nunc in generalis Conuen-
tus Pragensis decreto (.*ex quo abdicatio Ferdinandi, & mox neo-putatitiæ e-
lectio Frederici dimanauit.*) adquieturam: Ex vulgarib. allatis nouis pub-
„ lice depræhendi Anhaltinum nunc Bohemorum esse Generalem, ex-
„ optandum autem esse, vt ante annum fuisset: sed Anglicanum Ambas-
„ satorem hesterna luce inter alia retulisse, Bohemo-Euangelicos Or-
„ dines Ducem Lodoico-Philippum in Regem suum electuros, quod
„ varios Mœno-francofurti discursus caussaturum siet: Nisi igitur Bohe-
NB. NB. mi & Confœderatæ Prouinciæ ad belli continuationem intentæ fue-
„ rint, sese tunc mox ipsas consumpturas esse: ad hanc enim metam Co-
„ mitem Boucquoium collimare: Vice versa si quælibet Prouincia tot
„ tantasq; militareis copias aleret, quantas per multos sane annos pos-
„ sent, tum denique Hispano difficile futurum, præsertim si inducia in

Belgio

Belgio finem suum consequutę fuissent, in peculiaribus dissitisque a- Augusti.
deo Prouinciis bellum gerere: sub ista occasione quoque N. & NN. A. C. M.
facile aliquid iterum moliri possent, & interea rem in Occidentali Gal- DC. XIX.
lia (*.cum Duce Boullionæo, Sedano, Roschella &c.*) etiam feliciter cessuram,
quod faxit Deus Ter Opt. Max. Ob Vnitorum armaturam præpara-
tionemque bellicam sese, Camerarium, sæpissime esse sollicitum, ne
forsitan belli neruus temere vel frustra consumatur, (*.subductis enim
rationibus, in duabus Caßis, Norimbergæ & Heydelbergæ, tum temporis, A.C.M.
DC.XIX.X.Decemb. subtractis prius Officialium militumque stipendiis, non am-
plius quam octuaginta quinque millia, septingenti & vnus florenus, 43. cruc. re-
stiterunt.*) & simul parua sane reputatio in magnum Electoris Palatini
præiudicium exinde reportetur: potiorem directionem in Principis
Anhaltini manibus consistere, iccirco etiam rei quam optume pro-
specturum: sese, Camerarium, colligere, Fredericum à Berg (*.Præcipuus
clandestinorum Caluinianorum Correspondentium vnus, qui Anhaltino potiora
noua ab exteris locis, immo ex ipsa Roma procurauit.*) rei numariæ præfectum,
multum igitur interesse, vt mature omnis necessitatis reddatur certior
& cum Carolo Paulo (*.Electorali Palatino numariæ rei præfecto, quantum
quidem scire licet.*) diligenter correspondeat: eo itidem spectandum esse
quod Cassa Norimbergica (*.notent id Imperiales Ciuitates.*) maiora one-
ra, sumptus, sustinere necessum habeat, Heydelbergensi vero, quan-
tum fieri posset, adhuc aliquandiu parcatur ex caussa (*.in Heydelbergensi
siquidem parum numeratæ pecuniæ.*) quam Anhaltinum ipsum facillime a-
pud sese collecturum esse: Mauritii Landgrauii finalem resolutionem,
itidem ad competentia loca iam referri: Sin in nundinis Mœno-fran-
cofurtensibus factis istis pollicitationibus satisfaceret, sese Camera-
rium, tum non incassum laborasse: iuxta hæc tamen sese animaduer-
tere, facta ista restitutione, ipsum Vnioni valedicturum, ad quem ter-
rorem, vti quidem ipse (*.Camerarius.*) æstumet, pecuniam recipiendam
esse: quem in finem Electorem Palatinum operæ pretium facturum,
sin ad Mauritium Landgrauium peramice scriberet, vt solutionis ergo
eo melius assecuraretur &c.

In postscripto Camerarius vlterius suadet, vt nimirum Comiti
Schaumburgico cum Priuilegio fundandæ Academiæ, & titulo (Il-
lustrissimi.) per Electorem Palatinum, tamquam S. Rom. Imperii Vi-
carium, satisfieret, attamen hac expressa cum conditione, vt Electori
Palatino C. florenorum M. absque, vel tamen mediocri censu annuo,

per

Augußt. An. C. M. DC.XIX.

per aliquot annos concedantur, in quo ſeſe, Camerarium, omnem ſuam impenſurum operam. Quamuis autem magnus aulæ Palatinæ Magiſter, Comes Solmenſis, magnus Cancellarius, Grünius, Pleſſeus, Camerarius, Andreas Pauli, Doctor Schlœrus, & D. Paſtor, Electorales Palatini ad electionem Mœno-francofurtenſem Delegati omnia ſua conſilia & actiones (. ſub prætextu Bohemorum, S. R. Imperii pacis tractationis, audiendorum Bohemiæ Delegatorum &c.) ad impediẽdam Romanorum Regis electionem in medium cõtulerint, nihilominus tamen res, pro ipſorum omnium votoꝗ minime ,, ſuccedere voluit: quocirca toties nunc commemoratus Camerarius ad Principem Anhaltinum ita ſcribit: Electorem Palatinum iam copioſioribus certiorem reddi, quo fundamento omnia Mœno-francofurti nitantur; & ſumme neceſſarium eſſe vt Delegati Palatini per peculiarem quemdam curſorẽ certæ reſolutionis adhuc ante diem Mercurii reddantur certiores: ad ſummum enim electionem tum temporis proceſſuram, quam Eccleſiaſtici vehementiſſime & vrgeant, & maturent: Electorales Saxonicos Legatos ad nullam certam Correſpondentiam cum Electore Palatino commouendos eſſe: in ſumma Moguntino Septemuiro manere addictiſſimos: inſuper ſeſe Electoris Saxoniæ reſponſionem ad Septemuiros Eccleſiaſticos petiiſſe, ipſos Saxones vero ſeſe excuſaſſe, quaſi nulla amplius iſtius, Electoralis reſponſionis, copia in promptu ſiet, quã tamen aliunde impetraſſe; Similiter & vereri ſeſe, Baronem à Dona apud commemoratum laudatiſſimum Dominum Electorem Saxoniæ parum effeciſſe, cumque Mansfeldius votum Saxonicum daturus eſſet, neminem dubitare Ferdinandum iri electum: ſeſe, Camerarium, heſterna die ſatis diu cum Electore Treuirenſi loquutum eſſe, & non obſcure ipſi N. mentionẽ feciſſe: quantum vero animaduertat, eumdem, Treuirenſem, ad Ferdinandum inclinare, attamen prætendere ſeſe finalem reſolutionem nondum concepiſſe, neque de hoc ipſo cum aliis communicaſſe, diei electionis tempus ſeſe præſtolaturum, vbi Deus Ter Opt. Max. optumam mentem ſibi clementiſſime daturus & largiturus eſſet: In Summa propriis ſuis Oculis ſeſe, Camerarium, Ferdinandi electionem intueri, ni Deus miracula facturus ſiet, quod fieri poſſet, ſi abdicatio Ferdinandi Pragæ effectum ſuum ſortiretur: quo caſu ſerio perpendere, cuius ſeſe Electorem Palatinum poſſe, vel debere, & an non ſiet melius (. electionis die præſente.) omnino emanere, quam in conclaue, ad

gratu-

gratulandum & inseruiendum Ferdinando, sese conferre, quæ omnia Augusti.
diuersam apud Bohemos & Confœderatos faciem paritura sient: In A. M. DC.
grauissimis difficilimisque hisce negotiis sese sua ex parte, admodum XIX.
perplexum, perturbatum, atque curiosum esse: sin enim ista abdicatio "
locum habeat, necessarium tum esse, vt Bohemi eius rei gratia illico ad "
electorale Collegium perscripsissent, alias pro vulgari fama rem æstu- "
matum iri, ast priori casu (. id est *si illud* ipsum Electorali Collegio so- "
lemniter notum factum fuisset.) Electores offendi & commoueri pos- "
se. Quod ab Electore Palatino ad distinctas participatas relationes "
nullam adhuc responsionem subsequutam esse, onerosum & graue "
admodum esse, operæ pretium fuisse, si Electori Palatino vnus vel al- "
ter intimus Consiliarius tum temporis adfuisset: Pari modo Baronem "
à Dona hactenus nihil litteratũ ad se dedisse, quas tamen singulis ho- "
ris sese expectare: rem in veterib. permansuram terminis, & S. R. Im- "
perium eo magis magisq; libertatem, reputationem, pacem atque se- "
curitatem sensim amissurum, idq; (. vel qu.) Ecclesiasticorum quidem "
impulsu, qui sunt (. eia quam egregium Electoralis Palatini Consilia- "
rii elogium?) homines ad seruitutem nati, cumprimis vero Electore "
Saxoniæ auctore, qui coram Deo & grata posteritate ægre sese excu- "
sare possit: Conclusam Electoralis Collegii interpositionem, sese, E- NB.
lectorales Palatinos Consiliarios, (*. heic iterum beniuolus lector videre po-
terit, quam falso, & absque nullo prorsus fundamento tam oretenus quam publi-
cis scriptis vniuerso ferme terrarum orbi inculcari voluerit, Electorem Palatinum
nihil amplius desiderasse, quam vt intemperies Bohemica idoneis mediis inter Cæ-
saream Maiestatem, eiusque male contentos subditos, in cineribus quasi sepeliri po-
tuisset.*) impedire neutiquam potuisse: an vero illud Bohemi ipsorum- NB.
que Confœderati probaturi sient, necne, id tempus reuelaturum: sin "
autem abdicatio iusta, (*. quam interea Baro à Dona in effectum deduxit.*) "
absque vllo tum dubio Electoralis Collegii interpositionem in fauil- "
las cineresq; abituram &c. Magis (*addit Camerarius pro Epilogo.*) & plura "
heic amplius sibi non occurrere, ipsius n. cogitationes omnino esse "
distractas, (*. quum dolus tam male succedat.*) neque reperire se omnino "
bene dispositum. Ad hanc epistolam aliud quoque postscriptum per- "
tinet, in quo Camerarius litterarum quarumdam, quas ab Dona Dres- "
da obtinuisset, mentionem facit, & admodum moleste fert, quod E- "
lectorales Delegati Saxonici nihil de sua plenipotentia cum Consilia- "
riis Palatinis cõmunicassent, quemuis latere an non forsitan mysteri- "

N um sub-

August. A. C. M. DC. XIX. um sub illo latitet, quo Elector Palatinus apud alios Euangelicos, cumprimis Bohemicos Ordines, aggrauetur, eidemque quidpiam derogetur &c. Manifestum errorem esse, omnique fundamento carere,
» dum prætendatur, quasi per Delegatos de eligenda persona ipsa nihil
» tractandum fiet, exempla esse in contrarium: Sin enim Elector quispiam
» alterum in persona propria non conueniat, inter ipsos tum eti-
» am non oretenus de re ista colloqui posset &c. Propriis nunc suis o-
» culis sese, Camerarium, videre Ferdinandum Romana Corona poti-
» tum, singulari fato Germaniæ, sentire tamen, quod illa ipsi (. Ferdi-
» nando.) plus damni detrimentiue, quam commodi allatura siet: ipsos
» siquidem eligentes, ipsi paruam adsistentiam præstituros: Bohemos &
» Confœderatos (. NB.) consolandos esse, ne omnino animis despe-
» rando linquantur; ast sibi cõtinuationis scrupulum sibi subinde ocu-
» lis suis obseruari, quæ forsitan fieri posset, si Confœderati omnia or-
» dine tractarent, &, quod fieri possit, certo sibi persuaderent: ipsos e-
» nim sese resoluere necessum habere, quemadmodum (. NB.) Genera-
» les Stadenses, alias ipsis illa abdicatio male cessura esset &c. *Hæc cum eis*
» *conueniunt quorum Plessæus supra meminit, quod videlicet Stadensium, Vnionis,*
» *atq; Bohemorum Prætensiones omnes vno fulcro atque fundamento annitantur.*
» Eodem ipso die magnus aulæ Palatinæ Magister Comes Solmen-
» sis ad Principem Anhaltinum scribit: sese isto mane tres ferme foras
» integras insumpsisse, donec Electorem Palatin. de omnib. rebus Mœ-
» no-francofurti gestis per cypheras certiorem fecisset: *hac addita clausu-*
» *la:* adeo electionem præcipitari vt vereatur, antequam Elector Palat.
» sese resoluere possit, in Conclaui Conuentum maturatum iri, quo in
» casu Electorales Palatinos Consiliarios occupatissimos fore, & vehe-
» menter timere sese in illud consentire necessum habituros, quod intẽ-
» tioni (*. Romanam electionem & Bohemicam accommodationem impediendi.*) E-
» lectoris Palatini minime siet consentaneam: Sese, Consiliarios Palati-
» nos, genuinam veramque Domini sui Principalis voluntatem, & subi-
» taneam rerum immutationẽ scire non posse: maxumo iccirco dolore
» tangi vt vel ex negligentia, aut quod haud sufficienter res perpẽdatur,
» aliquid in tam difficilimo negotio suscipiatur, quod postmodum Ele-
» ctori Palatino displiceat, vel in Reipub. præiudicium cedat: Summam
» iccirco rei necessitatem requirere, vt proxima quaq; occasione euidẽ-
» tior luculentiorq; declaratio subsequatur: ex sua parte sese exoptare,
» modo res bono fundamento niteretur, vt Electorales Palatini Dele-

gati

gati(. *Achatius à Dona enim, tamquam Electoralis Palatinus ad Bohemos Legatus, cum abdicatione Ferdinandi ad Electorale Collegium, & singulum Septemuirum iusto tempore Mœno francofurti comparere haud potuit.*) sese ab conclaui segregare possent: ex omnib. circumstantiis siquidē manifestissime depræhendi, quod Electorales Palatini Consiliarii nihil præclari effecturi sient, omnia siquidem præparata iam dudum fulcita, atq; in sua Crisi esse (. *Ecce, quomodo Palatini sensim in desperationem, quum electionem impedire haud possint incidant.*) nisi Deus Ter Opt. Maxum. insperata prorsus occasione inauditam aliquam immutationem largiatur: quēadmodum Anhaltinum ex litteris ad Electorem Palat. & ex alia quadam Camerarii ad Anhaltinum data epistola (. *cuius superius facta mentio.*) satis superque colligatur. Augúst. A. C. M. DC. XIX. NB. NB.

Verum enimuero toties nunc dicto magno aulæ Palatinæ Magistro Bohemica salus in hoc electionis Conuentu, ne forsitan illa absente Generali damni detrimentiq; aliquid caperet, summopere curæ cordiq; fuit: iccirco Principē Anhaltinum, sub dato XIII. & XXIII. Aug. sequentib. ferme ad: & exhortatur: etiamsi Bohemiæ ærarium omnino exhaustum fiet, atq; ea ipsa de caussa Bohemi bellū aduersus domum Austriacam, difficillime cōtinuare poterint sed multo potius nullum non lapidē moturi sient, quo pacto videlicet illas prouincias, in quib. iurisdictionē hæreditariam prætendunt, manuteneant: nihilominus tamen publicum interesse Euangelicæ relligionis priuato præponendum esse, prçsertim quum non tam cito alia optata occasio (. euge quā bella apud istos homines Bohemicorum motuum accommodatio?) sese ostensura fiet qua Anhalt. oēs Protestantes Ordines, tam in: quam extra S. R. Imp. limites, sibi obligare posset: ad istius n. conseruationē oēs Euangelicos Ordines concurrere necessum habere, adeo vt ipse Elector Palatin. ob istam Bohemorum quærelam, indies & magis magisq; sese isti negotio immiscere oporteat, itaq; etiam decreuisse (. *Ecce quum circa illud tempus in Regem Bohemorum eligendus esset.*) quod etiam in persona propria quāprimum equo insidere velit &c. Electorem Moguntinum quidem nuperrimo tempore in Conuersatione quadam, postquam intellexisset Bohemos Principem Anhaltin. in Generalem suum elegisse, dixisse: *Si Anhaltinus oblatam istam conditionem acceptaret, tum vna vice omnem suam sapientiam amissurus esset* (. hem tibi vatem veridicum.) nihilominus tamen tantum in ipso aliisq; Ecclesiasticis colligi, conceptas Bohemiæ Ordinum resolutiones ipsis muscas parituras. NB. NB *Verum Electoris Moguntini de Anhaltino Principe vaticinium.*

August. An. C. M. DC. XIX. In & sub electione Mœno-francofurtensi Spiritus Caluinisticus intentionem suam (. vt in ipsius emolumentum Bohemica tractatio, Romanæ electioni præferenda esset.) moderate per alios cõsequi studuit, & eum in finem in Electorali Palatina plenipotentia clausulam istam Bohemicæ prætensionis non in specie, sed dumtaxat in genere inseri curauit; quod videlicet Electorales Palatini Consiliarii cum aliis electionis caussa, sese accomodent: vice versa alio in loco consilia & actiones suas eo direxit qu. Bohemica tractatio electioni pręferenda, & in hac propositione firmiter acquiescendum fiet. Cum a. ex singulari diuina prouidentia dolus iste Caluinisticus, alios seducendi &c. detectus fuerit, & iccirco, etiam contra Electoralium Palatinorũ consiliariorum Legatorumq; voluntaté, electio maturari voluerit, immo ipsi etiam Electorales Palatini à suis incusati fuerint: iccirco Electoralis Palatinæ aulæ magnus Magister, Legationis Princeps, Albrechtus Comes Solmensis &c. in quadam ad Principem Anhaltinum XIV. & XXIV. Augusti AC. M. DC. XIX. epistola, sequentibus è Francofurto sese suosque purgare conatus est: animaduertere sese, vt moleste feratur, quasi plenipotentia sibi ipsis (. *Electoralibus Legatis*.) Mœno-francofurtum versus data, caussa fiet, vt cum electione hocce tempore adeo properetur, antequam Bohemica intemperies accommodaretur: equidem inficias ire se non posse quod plenipotentia ista ad eumd. scopũ, quemadmodum ante Septennium, directa, & in illa nudæ dumtaxat electionis, ex præscripto Aureæ Bullæ, mentio facta fuerit: nihilominus tamen Electorales Delegatos, pro ipsorum instructione, plus aliis intentionem suam promouisse, & deniq; ad extremum in eo quoque perseuerasse, ne videlicet electio citius maturaretur, antequam pax, mediante Bohemicorum motuum accomodatione, stabilita, & S. R. Imperii Ordinum grauamina iterum sublata fuerint. Et in hoc puncto Saxonicos & Brandeburgicos Legatos (. *tum temporis cum Camerarius prima vice apud ipsos intonasset*.) assidue cum Electoralibus Palatinis Cõsiliariis conuenisse & in eodem hactenus adquieuisse, donec Electorales Saxonici Legati tamdem aliam Domini sui Principalis resolutionem in medium proposuissent: cuius rei gratia cæteros lucumlentissimum sibi daturos testimonium, quod nimirum semper, tenore suæ instructionis, minime vero considerata plenipotentia, in isto puncto tutando constanter perseuerauerint, etiam tum temporis postquam Saxonici à priori sua sententia iterum desciuissent: non itaque

videre

videre posse quo fundamento scilicet ista quærela nitatur, si enim, August.
Electorales Palatini legati, mox ab initio sui aduentus in Franco- A.C.MDC.
furto, minimum etiam sciuissent (*ostendit tamen supra D. Camerarius* XIX.
in prima sua Mœnofrancofurtensi epistola, quo Electoralis Saxonica resolutio "
dirigatur, quod nimirum generalis, & Legati noua emergentia retro ferre ne-
cessum habeant) quomodo, & quo videlicet Saxonica plenipotentia "
directa fuerit (quemadmodum etiam, Saxonicorum Legatorum "
gratia, ad fidam fidelemque correspondentiam inter se inuicem a- "
lendam sese obtulissent) tum idonea sese inuenturos fuisse media, "
quo pacto scilicet ipsorum plenipotentia ab Electore Palatino, qui "
tum temporis Heydelbergæ adhuc commoratus esset, (*& Amber-* "
gam ad Principem Anhaltinum nondum peruenisset) corrigi mutarive po- "
tuisset: ast hunc effectum esse, si animi adeo frigide & ad dimidiam
dumtaxat partem coniungantur (*multo minorem autem Electorales Sa-*
xonici legati cum Palatinis correspondentiam inter se inuicem coaluissent, si
Palatinorum clandestinæ artes ipsis cognitæ perspectæque fuissent, nimirum
quid interea Pragæ, abdicationis & electionis caussa: Item antea, ob exclusio-
nem Ferdinandi ex Septemuirali Collegio: Item apud N. ob magnam arma-
turam, & tum apud NN. ob incursionem in Forum Iulium, & Ecclesiastico-
rum in Alsatia: Item, quid apud N. & Stadenses, ob peculiares confœderatio-
nes & auxilia, Item, quod eo cogitatum fuerit, quo pacto videlicet Ecclesiasti-
ca quædam conditio & Electoratus pro Cardinali N. impetrandus) alias "
(*magnus aulæ Palatinæ Magister porro addit*) sese, Anhaltinum, ipsi cer- "
to atque in ipsa rei veritate polliceri posse, quod ad hodiernum vs- "
que diem cum supra commemoratis Saxonicis legatis nulla recta "
correspondentia iniri potuerit, (*quid in caussa fuerit, facile colligitur*) "
sed quæ agantur, externe dumtaxat adeo frigida esse, vt sat com- "
memorari nequeat. Ad diem Mercurij, XVIII. & XXVIII. Augusti, "
electionem certo adhuc procedere, nec quicquam sese videre, quid "
illam impedire posset, præter illum, in cuius manu omnia consi- "
stant, &c. in quo negotio Camerarium nullum, ast temere & fru- "
stra prorsus, non mouisse lapidem: Coloniensi siquidem Electori "
aliorum delegatorum vota minime persuaderi potuisse, iccirco e- "
umdem aliorum quoque vestigia calcaturum, & Electorem Palati- "
num in principio quasi Germanorum libertatem (*quasi vero, melius* "
confœderatas Prouincias & regnum Bohemiæ) propugnaturum protectu- "
rumque.

N 3 Quemad-

Aug. A. C. MDC. XIX. Quemadmodum autem ex commemoratis D. Camerarij & magni aulæ Palatinæ Magistri VI. epistolis satis luculenter apparet, quibus videlicet cogitationibus atque consiliis negotium Mœnofrancofurti sub durante electione agitatum fuerit, & quam libenter Caluinistica factio rem eo direxerit, vti memoriale, cuius supra facta mentio,
„ illud satis superque declarat, quod, quoniam dies electionis nullo mo
„ do impediri potuerit, ad minus tamen in eo nulla electio procederet,
„ & Ferdinandus ad illam nec vocaretur, nec admitteretur, cuius rei gra
„ tia apud Electorem Treuirensem, mediante corona Gallica, (*memoriali*
„ *teste*) bona præparatoria facta, & Brandeburgicum votum alias in Pa-
„ latini dispositione fuisse: ita quoque interea Pragæ neutiquam feriatum fuit, sed Achatius à Dona (cæteri intimi consiliarij enim Mœnofrancofurti, Ambergæ, &c. apud Electorem Palatinum autem nemo, Anhaltino & Onoltzbachico exceptis, exstitit) Pragæ commissionem suam magno zelo promouit, quæ sequentia in sese continuit: primo abdicationē, & mox eiusdem intimationem Electorali Collegio sollicitandam, atque tum demum Palatini Electoris dispositionem hoc potissimum modo procurandam, ne, si fieri possit, putatitia ista electio prius publicetur, donec videatur, quorsum electio Mœnofrancofurtensis inclinaret: & sin minus illic Romana electio non impediri posset, attamen ad minus putatitia Pragensis electio tam diu differretur, donec ex Hollandia & N. promissa auxilia sisterentur.

Prima relatio Achatij à Dona in lingua Gallica & cypheris, quam Anhaltinus in ordinem redigi curauit, ex Praga ad Principem Anhaltinum missa, abdicationem, de dato XXI. Augusti A. C. MDC.
„ XIX. concernit: idque sequentibus ferme verbis: Ordinibus deductio-
„ nem quamdam esse traditam de priuilegiis Regni Bohemiæ, ob liber-
„ tatem suæ electionis, & quæ alias contra Ferdinandum alleganda
„ sient.

NB. Ad hæc (*traditam nimirum deductionem*) omneis Ordines tamdem XIX. Augusti vnanimiter concluserunt: quod Ferdinandus ab regno remouendus, & abdicationis resolutio eum in finem cæteris Prouinciis intimanda fiet, quo commodius generali decreto inseratur deputatos Morauiæ, XX. huius, sententiam suam eo contulisse, quasi in omnibus Bohemico Concluso (*Dona sciuit vota, quæ tamen sub pœna capitis erant prohibita*) subscripserint. Hodie, h.e. XXI. huius

huius, Silesij & Lusati pari modo sententiam mentemque suam aperire debent, qui sese ab aliis minime separabunt, sed forsitan maiorem materiam ad abdicationis confirmationem subministrabunt: Iam serio neo-electionem maturari: sese, Baronem à Dona, confidentibus (*Ruppa, Hohenloio, Comiti à Thurn*) Electoris Palatini declarationem (*de qua superius magnus aulæ Palatinæ Magister mentionem facit, quod Elector Palatinus in persona propria equo insidere velit, attamen vt cum electione publica adhuc paulisper expectetur, donec N. Stadenses, & Gabriel Betlehemus sese resoluissent*) repræsentasse, quibus modo commemoratam istam declarationem maxumopere placuisse: quoniam autem plenaria & finalis resolutio differatur, sese, isto in negotio anxium vehementer admodum rogare vt tamdem res ad exoptatum iam diu finem deducatur (*si enim in Bohemia electio Mœnofrancofurtensis in fauorem Ferdinandi interea innotuisset, tum tam abdicatioois, quam electionis etiam negotium impeditum esset, & supra allegati confidentes in suo proposito maxumopere impediti fuissent, quocirca eo magis properarunt, vt conclusum cum abdicatione & electione Praga citius exteris in locis manifestaretur, quam electio Romanorum Imperatoris Mœnofrancofurti in Bohemia publicaretur*) sese, à Dona, probe videre, quod admodum difficile, immo impossibile futurum fiet vlteriorem dilationem obtinere, sed quamprimum generali decreto facto electionem maturatam iri, quamuis astutissimi etiam nondum certo sese resoluissent, quo nimirum illa dirigenda, nisi Elector Palatinus electionem istam non acceptaturus esset: Comitem Schlickium iterum ad Electorem Saxoniæ profectum esse, quamprimum igitur illud inter Ordines publicatum fuisset, quosdam non leuiter commotos fuisse, quur non etiam peculiaris quædam ad Electorem Palatinum legatio adornata fuerit: qui etiam sedari minime potuerint donec Achatius à Dona Ambergam versus missus fuisset. Nunc ipsissimam esse veritatem, quod commemorato Schlickio ne in minimo quidem mandatum fuerit, vt videlicet coram Electore Saxoniæ electionis caussa aliquid detegeret, quamuis idem ille Schlickius id serio fieri voluisset: nihilominus cum antehac sese ad istiusmodi offerta resoluerit, magis, quam antea, id facere posset, cumprimis quod Comes Ian-Albinus Schlickius de omnibus, ipso absente, Pragæ rebus gestis ipsũ certiorem reddidisset: Quum a. nihil in promptu habeat, quo suã apud Electo-

Aug. A. C. MDC. XIX.

NB. NB.

NB.

August. A.C.MDC. XIX. Electorem Saxoniæ prætensionem stabilire posset, parum gratiæ iis in locis reportaturus esset. Spargi præterea laudatissimum istum Electorem Saxoniæ VIII. milliaribus à Dresda iam commorari, quod negotiationem fratris sui, Christophori Baronis à Dona, aliasque tractationes procrastinare possit, &c. Apud expeditiones istas, singularibus quibusdam de caussis, peculiares aliquot difficultates suboriri. Nam I. Principalem punctum ob abdicationem sese ostentare, qui

NB. non leue negotium pariat. II. Lutheranos (*ita Baro à Dona relliquos Bohemiæ Ordines*, SVB VTRAQVE, *nuncupat*) ob acceptandum Principem Anhaltinum in Generalem, admodum esse perplexos, & sibi imaginari, quasi eius rei gratia Serenissimus Elector Saxoniæ forsitan offendi possit, quo alter alterum MAL A PROPOS confundat: Etiamsi enim (*ait porro Dona*) Iægerndorffius, qui iam Pragæ commoretur, tam Generali antehac in castris, quam iam etiam Pragæ cæteris Lutheranis ordinibus errorem istum eximere studiosissime adlaborarit, nihilominus tamen apud commemoratos Lutheranos adfectionem & inclinationem erga Electorem Saxoniæ firmiter & radicitus quasi adhuc infixam permanere, quamuis nesciant an Elector Saxoniæ similiter erga ipsos adfectus siet, quodque sub isto incommoditates apud Saxonem coincidentes, (*circa postscripti finem Dona incommoditates istas aliquanto propius attingit, quare nimirum laudatissimus iste Saxoniæ Elector verendus*) manifestissime iam iaceant in propatulo, &c. Omneis istiusmodi inconuenientias haud melius dissipari posse, quam per aduentum & personalem

NB. Principis Anhaltini præsentiam, quamuis in eo similiter grauissimæ diuersimodæque aliquot considerationes coincidant: metuendum tamen esse, factam istam prætensionem nihil aliud caussaturam, quam iacturam temporis, quodque interea Prouinciæ in maiores calamitates præcipitentur, & occasiones eo ipso in nihilum redigantur: In summa fateri sese necessum habere, quamuis ex vna parte negotium ipsum omnino confusum perplexumque reddat, nihilominus tamen ex altera parte iterum negare non posse, Rempub. cumprimis hoc casu esse considerandam: Summum autem esse periculum ne imminens ista occasio, & imprimis tempus (*quo melius clandestina Caluinianorum consilia ad effectum decucantur*) iam amittatur, quod etiam Electori Palatino probe perpendendum considerandum que siet: Summum itaque nunc tempus esse, ne momentum quidem ab ope-

ab opera cessetur, atque decentes necessariæque resolutiones conci- August.
piantur: nam in mora nunc summum esse periculum, &c. Sese, à Do- A.C.MDC.
na, Originale, insertamque copiam, Capitaneum Salerum concer- XIX.
nentem, cumprimis autem Archiducis Leopoldi manum propriam bene accepisse, & alterum quoque exemplar vidisse quod eleganter depictum descriptumque fuerit, (*Nota, quam honeste isti homines, more Caluinistico, agant*) ipsoq; facto deprehendere, quod artificiose & dolose satis imitatum siet: Tschernembelium, & Ruppam, vna cum relliquis (*confidentibus*) sese ipsi Principi Anhaltino obsequiose commendare.

In suo postscripto, de XII. & XXII. Augusti, qualitates Bohemorum describit, quocirca singularibus quibusdam de caussis Principem Anhaltinum Pragam versus allicere nititur: Inter præsentes, inquit, paucos dumtaxat adesse, qui sufficienter non instructi resolutionem quamdam concipere haud possint, nisi ipsis aliquis præcedat, & manus quasi porrigat, &c. Quamobrem sese singulos & vniuersos eo magis festinare, & maxumopere rogare, vt Anhaltinus propter DEVM venire non grauetur: Omnia tum factu non difficilia fore, & in omnibus Anhaltino quæ modo præscripturus esset, obtemperatum iri, &c. Insuper omnino sese quoque statuere præsente Anhaltino intra vnius horulæ spacium plus, quam toto istius consultationis tempore, effectum iri: quem in finem huncce ministrum summa solertia mittere, qui omnium viarum perquam gnarus siet: nihil attamen ipsi communicasse quem videlicet huc adducturus esset, sed de D. Rosino verba fecisse, qui Noriberga supra Agriam Pragam versus proficisci posset: patentes itidem litteras ad Doctorem Rosinum spectare, cui sub itinere isto tam equis cursoribus, quam cisijs & vehiculis succurri debeat: Hesterna luce Silesios vota sua dedisse & ora satis aperuisse: hodie, in quo postscriptum datum, Lusatos quoque sententiam suam dicturos esse: Sese, Baronem à Dona, verbis non satis eloqui posse in quantum affectiones erga Electorem Palatinum indies augeantur atque incalescant: paullo ante diuersas auditas fuisse opiniones, eius potissumum gratia, quod pro N. sollicitatum fuisset: similiter & aliquibus persuasum fuisse, Electorem Palatinum sese non libenter interpositurum esse: (*ast iam ante, A.C. nimirum MDC.XVIII. & toto hactenus tempore negotio isti satis sese & plus iusto immiscuerat*) quamprimum autem Baronem à Dona Electoris Palatini mandatum & in-

August. A.C.MDC.XIX. structionem paucis quibusdam confidentibus aperuerit, omnia fuisse mutata, & mirum esse quam repente videlicet omnia moueantur, & c: ante harum litterarum obsignationem, seniorem Ruppam Moravicorum ordinum præcipuum, & Dominum venerandæ ætatis, sui copiam fecisse, & lacrumis, vbertim ex oculis profluentibus, sibi, Baroni, ingentem lætitiam significasse, quam in corde suo percipiat, sin consideret, quod Prouinciæ tam pium Dominum (*Fredericum Palatinum, Caluinianorum in S. R. Imperio caput & coryphæum*) & adeo præcellentem Generalem (*rarum Heroa Christianum Principem Anhaltinum, qui in Occidentali Francia & Argentinensi bello tam præclara suæ fortitudinis facinora edidit*) adepturæ sient: ast simul eumdem, Ruppam, de exorta confusione grauiter conquestum esse, & quod in omnibus templis piæ, pro pio capite impetrando, preces fundantur, lacrumis deplorantem infortunium, sin forsitan (*laudatißima domus septemuiralis bonam Bohemo-Caluinisticam adfectionem probe perpendat*) Elector Saxoniæ, vel quispiam alius sibi similis (*Augustanæ confeßionis Electores & Principes*) ad Imperium euehi debeat: quod malum DEVS TER OPT. MAX clementissime auertere dignetur. Hæc & similia vota sese, Baronem à Dona, absque numero indies percipere: eum, qui in cœlis habitet, certo preces istas exauditurum esse.

NB. *Eodem die Bohemiæ Ordines sub LIV. sigillis ad Principem Anhaltinum scribunt, pro hactenus præstitis officiis & communicatis consiliis ipsi gratias agentes: inter alia hoc addentes, quod nimirum apud Stadenses nauigationes Indicas (Flotas vulgo) impedire sedulo adlaborare minime grauaretur: idque verbis sequentibus:* postquam perceperint, quod Anhaltinus in persona propria, ex heroico animo & zelo, suo & omnium religionis hosti, Solmensis nimirum Comitis equitatui obuiam profectus fuerit, eumdem heroice & masculè inuaserit atque profligauerit, id sibi ordinibus gratissimum fuisse nuncium, eumque in finem sese obligatos iudicare, vt pro isto beneficio condignas gratias persoluerent. Sese, Ordines, suo quidem loco nihil omnino prætermittere, quin saluti Reipub. consilio ipsoque facto succurrant, eiusque rei gratia extrema quæque impendere paratos esse. Quo zelo etiam in hodierno tam insigni conuentu (*cui etiam Bethlehemo-Gaborica legatio interfuit*), diligentissime perpendisse, quid videlicet ad prosperitatem istarum Prouinciarum, & reuocationem exoptatissimæ pacis conducibile esse possit: atque tamdem præmis-

sa siue

rea siue habita diligentissima exactissimaque rerum omnium delibe- Aug. A.
ratione, tantum cognouisse, quo pacto nimirum Archidux Ferdi- C. MDC.
nandus ante biennium ipsis in Regem obtrusus fuerit, & quoties XIX.
contra Reuersales suas peccauerit, tum etiam quod iuramento suo neutiquam satisfecerit, (*hæc Baro à Dona Bohemis, ex præscripto Crailshemii, XX. Martii A. C. MDC. XIX. conclusi, & ab Electore propria manu subsignati memorialis, vti supra videre est, sumministrauit*) & quam hostiliter hasce, alias florentissimas, Prouincias ferro ignique deuastarit & in extremam perniciem præcipitarit: qua de re seipsum Regno & possessione (*Ecce, heic Ferdinandus Regni possessor exstitit, quod tamen alibi negatum est*) exclusisse, ipsosque, Ordines, à conditionali iuramento tacite absoluisse, adeo vt Prouinciæ, vnanimi omnium consensu, dolose fallaciterque ante consequutam coronationem iterum annullare coactæ fuerint (*Ecce, legitimam vocationem Palatini, de qua supra, quæ ante putatitiam electionem, dolo adquirenda fuit.*) Quoniam autem hostis non minus direptionibus, incendiis atque latrociniis cottidie eo magis magisque sæuiat, de cuius resistentia ipsos in hodierna congregatione quidem sua consilia conferre, attamen absque aliorum Principum, cumprimis Anhaltini, vlteriori consilio (*Ergo ipsis prioribus suis consiliis & attentatis minime defuit*) ope, atque auxilio hosti cum sua armatura ægre sufficientes esse posse: itaque ipsos priori fiducia fretos ad Anhaltinum denuo confugere, eumdemque orare, rogare, & obtestari, ne ipsos derelinquat, sed multo potius reali assistentia ipsis pro virili succurrat: atque denique Dominum, Principem Auraicum commotoriis lit- NB. NB.
teris inuisat & adhortetur, vt videlicet nauigatio Indica (*hæc Anhaltinus, ratione notabilium, quæ in legatione Baronis à Dona versus N. pro memoria corraserat, quæque etiam in miscellaneis versus Angliam & Hollandiam art. xv. reperiuntur, itidem subministrauit*) in quam Generales Domini Stadenses consensissent, absque vlla mora promoueretur: siquidem facile colligendum esse, Flottam istam Hollandicam Hispanorum potentiæ plurimum detracturam: quo facto ipsos procul omni dubio in hisce Prouinciis hostibus restituros esse: quem in finem ipsos Bohemiæ Directores potentis- NB.NB.
simis Dominis Stadensibus, tum ipsi quoque Excellentiæ suæ per litteras huius negotij promotionem sedulo commendasse,

August. A.C. MDC. XIX.

minime dubitantes si ita communi consilio & auxilio quilibet suo loco Reipub. operam suam locaturus siet, vtrimque tum ad exoptatam metam, cum summa ipsorum posteritatisque gloria, honore, & emolumento, cumprimis autem (NB. *Euangelium Caluinisticum propagari dilatarique nequit, nisi Romano-Catholica relligio, vel syncero-recta Augustana confeßio subpremantur*) Euangelicæ relligionis amplificatione, facilime perueniri posse: in quibus adeo laudabilibus conatibus Anhaltinum hactenus sese ita exhibuisse, vt non immerito ipsi magnam gloriam gratiarumque actionem debeant, & porro quoque summa fiducia teneri, eumdem istam suam intentionem imposterum etiam continuando minime destiturum.

Interea Achatio à Dona Pragæ negotiatio, pro Electore Palatino, indies eo magis magisque grauior difficiliorque facta est: Eumdem enim Electorem cum manifesta declaratione (clanculum tamen hactenus per integrum biennium coronæ Bohemicæ inhiauerat) animi sui sententiam neutiquam prodere voluisse, donec vidisset, an & quomodo Romana electio Mœnofrancofurti procederet. Vice versa autem Bohemici incentores atque coryphæi cum abdicatione & noua Bohemica electione hac potissimum de caussa maturarunt, quoniam metuebant Prouincias sese ad Ferdinandum iterum conuersuras: Quocirca ad Anhaltinum, sub dato XXIV. August. sequentia quamprimum perscripsit : Anhaltinus profectionem suam Pragam versus maturare debeat, siquidem inter tot capita minime sese progredi, nec tam ardua negotia per litteras & in absentia, quam oretenus in loco, & in re præsenti expediri posse, sin enim litteræ forsitan intercipiantur, mille id tum incommoditates pariturum siet. Defectus adeo magnos esse vt turpe dictu siet, quemlibet itaque Anhaltini Principis aduentum vehementer & cum desiderio præstolari, quo melius in loco, consolationes, auxilia, atque Medicinalia remedia applicare posset, præsertim vero ijs in rebus quæ in absentia facillime irreuocabilia damna infinitaque detrimenta adferre possent: æquitati itaque omni consentaneum esse, ne Anhaltino quidpiam negatur, coram sese, Barone à Dona, namque non quemuis, vti coram ipso Anhaltino, sententiam suam aperturum, & tum quoque resolutiones eo commodius & felicius subsequuturas: animos non pari modo esse dispositos ob dissimilem suspicionem,

cionem, quam quidam in ſuam, Anhaltini, perſonam conieciſſent: quocirca negotio iſti remoram iniectam iri, alios vero anſam occaſionemque arrepturos, ad ſuſpicionem illam alendam: neminem itidem iam in promptu eſſe, qui ſua auctoritate iſtiuſmodi ſuſpicionibus reſiſtere queat: & denique occupationes tam diuerſimodas multiplicesque ac tantę importantiæ eſſe, quæ Anhaltini pręſentiam omnino iam requirerent; licet etiam forſitan aliusquiſpiam cum plenipotẽtia mitteretur, nihilominus tamen rei minime cõſultum eſſet, vt illud, quod quæratur (*. eius rei enim iam ante facta fuit aſſecuratio.*) non obtineatur, ſed quod lente procedere, atq; ita multum temporis temere inſumptum iri videatur: ſeſe vbiuis, num Anhaltinus aduenitſſet, abſque vlla intermiſſione interrogari ab omnibus, & eodem modo Electoris Palatini reſolutionem vrgeri. Ad primum quod attineat, ſperare ſeſe proximas ſuas litteras non fuiſſe infrugiferas; alterum multo adhuc grauius, difficiliuſque, immo ferme, ob impetrandam electionis dilationem, impoſſibile eſſe: nudiuſtertius ſiquidem Concluſum, omnium Prouinciarum nomine, contra Ferdinandum publicatum fuiſſe: iccirco neo electionem neceſſario maturandam eſſe: omnino namque vereri, ſin fortaſſis Ferdinandus, iuxta Saxonica & Mœnofrancofurtenſia allata noua, Romanam Coronam impetraturus eſſet, tum idem Ferdinandus à vulgo denuo poſtulari & requiri, vel ad minimum denique inter Ordines diſcordia exoriri poſſet: & ea ipſa ex cauſſa (*. videat nunc lector beniuolus quibus artibus res promota fuerit.*) electio per tridui ſpacium minime differri queat: fruſtra enim in dilatione impetranda laborari: niſi enim Electoris Palatini reſolutio interea adueniat, tum rem ipſi, Baroni, maxumam ſane anxietatem parituram eſſe: Lutheranos miras mouere technas atq; factiones, omnia (*. videat nunc laudatiſſimus Saxoniæ Elector bonam inclinationem Caluiniſticam.*) ad Saxoniæ Septemuirum inclinare: Pari modo Comitem Ioachimo-Andream Schlickium demandata ſibi ad Saxonem legatione abuti, nec reditum ſuum maturare. Ad N. quod attineat affectiones hactenus non mediocriter ſane ceſſaſſe, poſtquam cognitum perſpectumq; ſiet, quod Elector Palatinus interceſſiones & ſollicitationes ſuas pro eo intermittat, (*. Ex hoc iterum apparet quam candidè agant Caluini aſſeclæ cum ſociis.*) & bonam ſpem conceptam, ipſum, Palatinum, Coronam (*. cui ante biennium inhiauerat.*) tamdem accepturum: minime itaque dubitandum eſſe maiora nunc ſimpliciter Electorem Palatinum tactura, nam Morauios, Sileſios & Luſatos abhorrere à Confuſione, turpitudine & periculo,

Auguſt. A. C. M. DC. XIX.

NB.

NB.

August. A.M.DC. XIX. periculo, quæ ab Electore Saxoniæ expectanda fient, (*.hoc tamen minime conuenit cum eo, quod Bohemiæ Ordines & incorporatæ Prouinciæ tot peculiaribus legationibus Serenißimo Electori Saxoniæ obtulerunt.*) adeo vt etiam ipsi NB. NB. Lutherani Euangelici Ordines Bohemiæ plus ad Palatinum, quam Saxoniæ Septemvirum inclinent, &c.

Similiter idem ille Baro à Dona, parem ferme relationem, cuius iam ex ipsius ad Anhaltinũ datis litteris facta mentio, ad ipsum Electorem Palatinum mittit, in qua vlterius cõmemorat: sese animos in genere eo dispositos deprehendere, quod videlicet nullum Catholicum Subiectum amplius in Regem suum habere velint, ne Scopo, hactenus omnibus præfixo, h. e. quod res purum putum fiet relligionis negotium, forsitan aduersentur: Inter Euangelica capita, quæ ad regnum proponi possent, Regem Daniæ, & Transyluaniæ Principem (NB. *attamen Elector Palatinus in manifesto suo prætendit, nisi dolo & artibus adquisitam Coronam Bohemicam acceptasset, tum Gabrielem Betlehemum, vel alios exteros Principes requisitos, Electorali Collegio obtrusos, vel regnum omnino ab Imperio Romano auulsum fuisse.*) ad considerandum parum rellinquere, quemadmodum etiam mox & alios exclusos fore: itaque omnem consultationem in Palatino, & Electore Saxoniæ adquiescere: quamuis etiam de impetranda dilatione nullus non lapis motus fiet, fieri tamẽ minime potuisse, vt eius rei gratia aliquid obtineri quiuerit, adeo vt Ordines vereantur, confusionem exortam Ordines aliquot separaturam: Prouincias itidem adeo hinc inde dispersas esse, vt summa necessitas aliud caput requirat, quod omnib. inconuenientiis salutaria remedia adplicare possit, cumprimis quum è Mœno-francofurto allata noua facile inuidiam accelerare NB. possent: Sin enim inibi Ferdinandus ad summum Imperii fastigium eueheretur, tum à vulgo subitanea immutatio metuenda fiet. *Eadem die Baro à Dona Praga Anhaltinum iterum certiorem facit, inquiens:* Omnem moram obtineri amplius non posse, nec vlla dilatio magis excogitari possit, sed electionem noui regis omnibus maturari viribus, crastina luce eius rei fieri initium: quemuis affirmare & credere, electionem (*.nam, vti superius facta mentio, Directores M. Decembri A.C.M.DC.IIXX. viuente etiamnum Rege Matthia, Palatino Electori Coronam Bohemicam ipso facto, confœderatorio more, attamen summo sub silentio, obtulerunt, & superius quoque conceptum illarum considerationum reperitur, quæ Bohemiæ Delegatis, Electori Coronam obferentibus, ex Consilio Anhaltini & Marchionis Onoltzbachici, responderi debuerunt: Item, vti quoque supra videre est, armaturam X V. militum M. ad impe-*

impetrandam Coronam Bohemicam, XIII. Augusti, Anno C. M. DC. IIXX. pro Electore Palatino alendafuisse) ad Electorem Palatin. tralatam iri, & quod Lutherani (. ita inquit Baro.) maiori cessuri sient, cumprimis quod Comes Andreas Schlickius multifariis excogitatis & adplicatis suis artificiis (. *heic Serenissimus Elector Saxoniæ videre poterit, Caluinianos artificiis Celsitudini suæ imposuisse.*) obtinere minime potuerit, vt Saxo in Coronæ acceptationem consensisset: Saxonicos Consiliarios (. *figmentum videtur Anhaltinum, vt Elector Saxoniæ Bohemis suspectus redderetur.*) lubentius filium intrusisse: ast ob eius infantiam, rem nullo fundaméto niti: Illos ipsos tamen, qui hactenus à partibus N. steterint, necessarium arbitrari, vt ipsi in alio satisfiat, id quod pro bono publico (. *perragion di Stato.*) probe perpendendum siet: adferri quidem media in medium, de quibus tamen alio tempore tractari possit, modo si ex hodiernis difficultatibus sese extricassent: sese, Baronem, à nulla re amplius iam angi, quam temporis angustia, quod ab Electore Palatino nullam responsionem accipiat, & quod ad hodiernam de electione epistolam nullius resolutionis fiat particpes. *Cum itaque toties nunc commemoratus Baro à Dona Electoris Palatini responsionem & resolutionem adeo instanter petierit, itaque ista, sub dato XXVI. August. A. C. M. DC. XIX. tamdem hoc modo subsequuta est*: Ordinum Confœderatorum, & suas, Baronis, litteras bene ac decenter fuisse traditas, & quid ad Principem Anhaltinum, sub dato XXI. & XXII. huius, perscripsisset, pari modo esse intellectum. Ad arcanum igitur punctum quod attineret, suo illum loco iam relinqui, & quod ipse, Elector, ipsi Baroni oretenus reuelasset: ex quibus sese intelligere Ordines cum isto admodum bene contentos esse, modo ꝙ ipsis angustia temporis molesta esse velit, quodque finalem denique resolutionem tam instanter desiderent. Quo melius autem ipsis maiori fundamento Baro respondere possit, ipsi tenore præsentium istarum litterarum significari, Electorem pro tempore sese resoluere nondum posse, donec relatio ex N. facta fuisset, quorsum iam ante summo cum studio Christophorus à Dona cum sufficienti instructione & deductione illorum, quæ istis in locis expediunda essent: ipsum quoque Electorem Palatinum æstumare, ipsis Confœderatis Prouinciis plurimum profuturum, vt nimirum res tam diu in suspenso teneantur, donec N. & vniti Stadenses negotio arctissime implicati fuerint: (. *Est enim caussa communis Hollandorum, Bohemorum, & Vnistarum, iuxta Volrathi Plessei epistolam, sub dato XI. Septembris A. C. M. DC. IIXX.*) quod fieri non posset

August. An. C. M. DC. XIX.

August. A. C. M. DC. XIX. possit si res nimium præcipitata fuerit: Sin autem Confœderati sese ad istiusmodi dilationem (*ad VI. menses sese extendentem.*) non resoluere vellent, quod tamen haud sperandum, bene tum fieri posse, quod exigua ista temporis iactura nō tanti esse possit, quam quod metuēdum, Ordines, nisi resolutionem ex N. expectare velint, in magnam confusionem præcipitatos iri: nihilominus tamen cum illis bona Correspondentia haberi debeat: idcirco Baronem, à Dona, omnem suam operam eo conferre debere, vt modicam dumtaxat istam VI. Septimanarum dilationem apud ipsos (. Ordines.) impetret. Sese, Electorem, nullum omnino tempus neglecturum, ipsisq; bona seruitia prȩstiturū, vt hoc facto Ordinum intentioni per omnia satisfiat: quemadmodum etiam Indicæ nauigationis negotium promouere, atque finitimis istis in locis non contemnendam sine armaturam ad campum adornare velit, NB. NB. vbi Principis Anhaltini ope atque auxilio indigeat: postea ipsum, Anhaltinum, bona cum venia, licet ægre (. scilicet.) dimissurum, vt tum ad ipsos in Bohemiam proficisci, & inibi omnem necessitatem tractare possit: Deum Ter Opt. Max. denique rogaturum vt omnia ad diuini sui nominis gloriam dirigere, & ad conseruationem propagationemque suæ (. i. e. *Caluinisticæ.*) Ecclesiæ clementissime prosperare non dedignetur.

Post commemoratas hasce ab Electore Palatino ad Baronem à Dona exaratas litteras, antequam istæ Pragam allatæ fuissent, arcanus ille punctus, quem Elector Palatinus modo & toties nunc commemorato Baroni à Dona communicauerat, quemadmodum & illud, quod idem Baro, ex mandato Palatini, paucis quibusdam confidentibus detexerat, tantum sane effecit, vt, haud expectata finali resolutione Palatini, & Hollandiæ atque Angliæ tanto desiderio præstolata declaratione, Bohemiæ Ordines putatitiam electionem, ex qua deinceps tantæ calamitates atque miseriæ exortæ sunt, ad manus sumpserint: & Baro eodem ipso die nimirum XXVII. Aug. A. C. M. DC. XIX. per peculiarem cursorem ad Principem Palatinum, inter alia, sequentia perscripserit: Electionis negotium Pragæ adhuc iisdē, bonis, versari in terminis: idipsum quod priores suæ litteræ satis superque testentur: adeo vt manifestum miraculum & Dei digitus exinde manifestissime adpareat: eamdem igitur tam felicem rei successionem absque vlla mora sese Electori Palatino significaturum. Hesterna die, pergit Baro, Ordines electionem inchoasse: hodie expectari Prouinciarum decretum vel conclusum: Inter XL. personas, ex Dominorum Statu, tantum V. vel VI. vota pro Electore Saxoniæ, cætera vero omnia

Septemuiro Palatino data fuisse: Ordinem Equestrem totum vno dumtaxat excepto, à Palatino dependisse: Tertium vero Statum nullam omnino difficultatem prętendisse, sed vnanimi omnium consensu Electorem Palatinum nominasse: adeo vt conclusum, cito, facile & absque vlla contradictione (*ast nemo contradicere ausus est, quoniam Catholicis, mox ab abdicationis publicatione, arma adempta, interea vero Mansfeldi militareis copiæ in plena acie per omneis ciuitatis plateas ordine dispositæ sunt.*) factum fuerit: In Prouinciis tantum deprehendi, vt pari modo, absque vlla contradictione & difficultate, fuerint dispositæ, quodque adhuc eodem ipso die consueta alegrezæ signa circa vesperam editura forēt, quamuis pauci aliquot æstumauerint publicationem non adeo præcipitandam esse: quæ tamen omnia frustra fuerint: deprehensum siquidem esse, nullam amplius dilationem vel fingi, vel excogitari posse. (*Confusio enim & Ordinum separatio metuenda erat.*) Omnipotens in cœlis habitans DEVS opus illud ad diuini sui nominis gloriam, & populi sui salutem clementissime absoluere dignetur. Vereri quosdam an acceptatio certo subsequenda foret: in quo Ordines sibi firmiter polliceri, si diuina prouidentia ac inter alia & illud perpendatur, quod semel hoc diuinæ misericordiæ opus, quodque vocatio (*quæ Anno C.M.DC.IIXX. Bohemis præscripta fuit, vti supra &c.*) bene fundata, præsertim vero salus Ecclesiæ & honoris (*Palatini.*) quemadmodum non minus verbi (*Caluiniani.*) DEI huic ipsi negotio potissumum implicata fiet, absque omni dubio tum Electorem Palatinum conscientiæ caussa hanc vocationem minime neglecturum, certa spe atque fiducia fretum illius assistentiæ, qui liberos suos aliquando mirabiliter iugo summittat, nihilominus tamen eosdem contra omnem malitiam atque machinationem diabolicam strenue defendat: nisi etiam (*B. à Dona.*) responsionem expectaret ad priores suas litteras, illico locum mutaturus fuisset: ast iam iis, quæ Elector Palatin. sibi clementissime mandaturus esset, obtemperare necessum haberet: Ordines per peculiarē quamdam Legationem Palatinum electionis istius certiorem reddere velle, attamen sese prius mandata petere, quæ hac in re Electoris Palatini fiet voluntas atque sententia: similiter & summo desiderio scire aueat, quamdiu adhuc Pragæ commorari debeat, nihil enim amplius sibi expediundum restare, quam vt Principis Anhaltini aduentum, eiusque mandatum (*sui Generalatus caussa.*) pręstoletur. Prouincias hinc discessum domum versus maturare, de qualibet tamen Prouincia v- August. A. C. M. DC. XIX.

August. An.C.M. DC.XIX.

num vel alterum Pragæ permanſurum: Inter Legatos ad Electorẽ Palat. mittendos penes alios quoq; eſſe duos Barones à Ruppa, Bohemũ vnum, Morauum: alterum plurimos malle vt ipſos (.B.à Dona.) præcederem, aſt abſq; ſingulari Electoris Palatini & Principis Anhaltini mandato ſeſe illinc minime moturum: in hoc ipſo temporis momẽto tormentorum ex arce audiri tonitrua cum lœta omniũ adclamatione: *Viue le Roy, &c.* (*.in margine legitur.*) ante litterarum harum obſignationem Prouinciarum adprobationem & concluſionem ſubſequutam, Salue diſploſum, & omnia ad plenarium concluſum deducta eſſe: DEVS totali exequutioni benedicat. AMEN.

Quum itaq; hactenus in tot commemoratis litteris toties finalis Electoris Palat. reſolutionis mẽtio facta, & ſummũ periculũ in prõptu fuerit: ſi vice verſa, Ferdinãdi Mœnofrancof. facta electio illis in locis percrebuiſſet, (Bohemis .n. perſuaſum erat, Palat. Electorẽ diem electionis impediturum; &, ſi nihil fieri poſſet amplius, tamd. citius Campum, quem Anhalt. in limitibus Bohemicis formari iuuerat, in hac impenſurũ, &, iuxta Mauritii Landgrauij conſilium, Ferdinando obuiã iturum Mœnofrancofurtum vndiq; obſeſſurũ, & ita electionẽ omnib. modis retardaturum.) quum animi vel penitus immutaturi, vel ad min' Ferdinãdũ poſtulaturi eſſent; itaq; Bohemiæ Ord. interea non dumtaxat (.ſuggillatione & inſtinctu Principis Anhalt. ac Baronis à Dona.) ad Vnionis Principes, & Stadenſes perſcripſerunt, iiſdemue electionem notificarunt, quo nunc in iis locis (*.ita inquit B. à Dona in ſua ad fratrem ſuum germanum, 28. Aug. A. C. M. DC. 19. exarata epiſtola.*) eo maior fortiorq; ad ſiſtentia præparetur, & intra 6. Septimanarum ſpaciũ, quarũ dilationem Elector Palat. paullo ante rogauerat, ipſo facto in ſuperiorẽ Palatinatum, vbi tum temporis Cãpi formatio maturabatur, mitteretur: *Verum etiã toties nunc cõmemoratus Princeps Anhalt. ad euitandum periculum, in continenti, quãprimum B. à Dona ante dicta relatio de Pragenſi electione exhibita fuiſſet, nomine Electoris Palatini, ſub dato 29. Aug. A. C. M. DC. 19. ſequentem reſolutionem in litteris ſuis detexit:* Electorem Palatinum tamdem diuinæ voluntati, quæ ſeſe adeo multis modis (*.per Anhaltino Caluiniſticas artes & inſidias.*) oſtendiſſet, circumſtantiis atque mediis vndique tam bene ſeſe adaptantibus, nõ amplius repugnaturum: malle tamen Electorem Palat. vt delegatorum Bohemicorum miſſio, quantũ quidẽ fieri poſſet, adhuc aliquandiu differretur, vt interea tempus lucraretur. Interim tamen B. à Dona Praga nõ ſecederet, ſed deductionẽ, de reiectione Ferdinandi, abſq; vlla interiecta mora Ambergã verſus mitteret: alias Elector. Palat. nunc Principem Anhalt. bona cum venia dimiſ-

dimissurum, vt Pragam versus profectionem suam maturaret, attamen de die istius, Anhaltini, discessus sibi nil certi adhuc constare. Sin vero delegatio Bohemiæ Ordinum ad Electorem Palatin. differri amplius nequeat, B. à Dona tunc illud notificet, & ante Legatorum discessum, Ambergam versus sese conferat, inibiq; omnium rerum meliorem informationem communicet: eo vsq; N. Electorem Palatinum Principem Anhaltinum penes sese detenturum, donec B. à Dona adventurus esset; Extra illud, legatos, quocunq; etiam tempore illi venturi fient, gratos acceptosq; fore, atq; meliora subiecta ad legationem istam (*.quam iuniorem, senioremq; Barones à Ruppa, qui, iuxta supra allegatum post scriptum de dato 22. August. infortunium maxumopere deplorarunt, sin forsitan Elector Saxoniæ, vel alius sibi similis, imperium adeptus esset.*) eligi haud potuisse: Marchionis Iegerndorffii epistolam, de qua infra, sub dato IV. Septemb. A. C. M. DC. XIX. quemadmodum & Tschernembelii litteras Electori Palatino fuisse acceptissimas, & iisd. quemadmodum etiam B. à Dona, sese clementissime recommendare. Augusti. A. M. DC. C. X I X.

In post scripto, cypheris exarato, nomine Principis Anhaltini, loca reperiuntur, per qua transiturus esset, & aliquot numeri, vel dies Critici, Electori Palatino fatales: vtpote 16. & 26. Augusti, quo natus: 17. & 27. eiusdem, quo electio in Bohemia processit: 18. & 28. eiusdẽ: denominatio diei electionis Ferdinandi in Mœno-francofurto: & 19. & 29. Augusti, dies natiuitatis Principissæ in Anglia: (. omisso 29. Octobr. & 8. Nouemb. An. C. M. DC. XX.) Electorem Palatinum sese iam bene resoluisse: nihilominus tamen responsionem ex N. & Confœderatorum expectandam: Septemuirum Palatinum intra octidui temporis spacium quosdã Vnionis Ordines ad sese vocaturũ, & cum ipsis de vno vel altero colloquuturum, DEVS faxit, vt omnia prospere succedant. Electorem Palatin. sibi Anhaltino inter alia commemorasse, nunc nullam sese caussam habere cur videlicet ipsum, Anhaltinum, diutius detinere posset, sed multo potius malle, vt quamprimum sese Pragam versus conferret, & omnia (*.plenarium Generalatum acceptandi, cum Comite à Thurn in Austriam ante Viennam progrediundi, Gabrielem Betlehemum ad idem requirendi, atq; in Bohemia omnia iuxta ipsorum intentionem dirigendi.*) decenter atq; ordine disponeret: attamen nõ citius profecturus esset, nisi ioa negotia (*.Palatina armatura caussa.*) expedita fuerint: Marchionẽ Onoltzbachicũ hac de re risisse, nimis tamen perplexũ esse, queadmodum Palat. ipsũ: sese, Anhalt. diligenter ppendere nũ consultius fiet, an videlicet NB. NB.

August. An. C. M. DC.XIX. ante vel post Bohemiæ Ordinum Delegatorum aduentum Pragam versus proficisci debeat, rogare itaque, vt, B. à Dona, suum hac in re absq; vlla mora communicet: interim Domino Ruppæ significet, Anhaltinum nunc non amplius dubitare, quod res non feliciter iam successura fiet: nondum tamen sese satis instructum esse de Confœderatione Superioris Austriæ Prouinciarum, & qualis ipsis quota imposita fuerit: delegatos ad minus per decem dierũm spacium adhuc detinẽdos: & eo potissimum spectandum vt ipsis potestas detur, ob Capitulationem cum Anhaltino tractandi & concludendi, tum enim, B. à Dona, certo credat omnia in cæteris eo facilius & felicius processura.

Septem. A. C. M. DC.XIX. *Quo melius igitur Marchio Iegerndorffius bonam suam erga Electorem Palatinum adfectionem testatam faceret, sub dato IV. Septemb. An. C. M. DC.XIX. (. postquam antea reiectioni & nouæ Pragensi electioni in persona propria interfuisset.) Electori Palatino gratulatus est, hac addita appendice:* Coronam Bohemicam nunc non dumtaxat in Electoris Palatini personam, sed laudatissimam domum Electoralem Palatinam absque vlla contradictione (. Marchionis verba formalia.) collatam, scire nunc in silentio desideret, quomodo videlicet res cum finali (*. multo potius manifesta.*) declaratione, acceptationem concernente, comparata, & quo nunc fulcro potissimum certo innitendum fiet, cuius Anhaltinus ipsum Iegerndorffium, cũ hoc eius rei gratia Pragam versus (*. quo interea Anhaltinus sese receperat.*) misso peculiari cursore, fido sub silentio certiorem reddere debeat: cuius rei gratificationem sese hac potissimum de caussa, eo magis expectare, Iegerndorffium, quod tum Regiæ suæ dignitati in imminenti Silesiæ Prouinciali Conuentu (*. ad quem Praga, 8. dies ante, se contulerat.*) eo maiora seruitia præstare poterit.

Equidem Elector Palatinus ad istam abdicationem & electionem sese mox ab initio, ad speciosum dumtaxat prætextum, resoluere noluit, donec ab aliis locis certam adsistentiam impetrasset, & interea peculiaribus legationibus exterorum Principum opem & auxilium implorasset, cumprimis autem Gabrielem Bethlehemum ad partes suas pertraxisset: quemadmodum etiam Princeps Anhaltinus, ad exterum quemdam Principem, mox à noua electione, sub dato IIX. & IIXX. Sept. Anno Christi M.DC.XIX. inter alia sequentia exarauit: Licet Elector Palatinus sese de acceptatione nondum omnino declarauerit, cumprimis quoniam responsio ex Anglia etiam impatienter expectetur, attamen credibile esse (*. qualiscunque etiam ex Anglia adferatur resolutio.*) acceptationem

tionem subsequuturam esse: interea delegatos Hungariæ secum, Anhaltino, fuisse, multisque circumstantiis istius regni statum (*quod nimirum Setschii Georgius & Ragozius aduentum suum maturent, ipsosque Gabriel Betlehemus quamprimum in persona propria subsequuturus esset*) sibi detexisse: exinde colligi quam eximia electio in Germania facta fuerit, quam etiam exigui effectus, nullius valoris, neq; diu duraturam esse. Et paullo post: nunc (*videant artes singuli*) castra satis esse firma ad magnum ex Hungaria succursum expectandum, &c. *absque omni dubio hac de caussa quoniam nouo electo Regi Bohemiæ, & istius Regni recens introducto Generali, Anhaltino, commemoratus iste Betlehemus, & porta Ottomanica propior, quam Sylua-Comitis & Anglia (exinde enim responsionem tam impatienter expectarunt) fuerit: quodque inibi Stadenses Electoris Palatini negotia in Anglia tam serio promouerint, vti ex impressa continuationis historicæ relatione videre est, verbis sequentibus*: Quod circa illud tempus Domini Stadenses ex Sylua-Comitis peramplas satis litteras ad Regem Angliæ ablegauerint, in quibus Regiam suam M. admonuissent, vt, sin forsitan Elector Palatinus, ob acceptandam coronam Bohemicam, ab Hispanis infestari debeat, tum sua Regia M. quemadmodum illud omnibus viribus præstare iam ante in se recepisset, Palatino, tamquam nouo Bohemiæ Regi, quamprimum succurrere non dedignetur. Ad hæc igitur in Anglia multas & peculiares quasdam deliberationes, ob acceptationem commemoratæ istius coronæ Bohemicæ, fuisse habitas, quarum conclusum, post magnam negotij tractationem & consultationem, denique eo cecidisse, quod nimirum, præcedente tamen consensu præcipuorum Regni ordinum & Regij Parlamenti, (*hoc cum eo conuenit, quod supra ex Comitis Mansfeldii instructione apud XII. articulum commemoratum est, Angliæ præcipuos Consiliarios & Parlamentum (non vero Regem) cum conceptis Electoris Palatini consiliis & resolutionibus per omnia concordare*) Elector Palatinus Bohemicam coronam acceptare debeat: quocirca absque vlla mora (*continuatores inquiunt*) Baronem à Dona à Regia Maiestate bona cum instructione ablegatum fuisse: Pari modo Regiam S. M. legatum quemdam ad Daniæ Regem misisse, qui, sin forte Elector Palatinus, ob acceptationem coronæ Bohemicæ, hostiliter infestetur, eiusdem Regis, Daniæ, opem auxiliumque imploraret: quemadmodum etiam multi particulares ex equestri ordine Anglicano Regi, eiusdem acceptationis caussâ, gratulati fuerint, & nouo Bohemiæ

Septem. A.C.MDC. XIX.

NB.

Octob. A.C.MDC. XIX.

Octob. A.C. MDC. XIX. Regi aliquot militum M. suis sumptibus liberalissime obtulerint, &c.

Post hæc solemnis coronæ Bohemicæ acceptatio VValdsachsiæ secuta est, quo Princeps Anhaltinus ex Bohemicis castris sese contulit: eodem in loco Bohemiæ Ordinibus Reuersales, ipsorum Priuilegiorum conseruandorum gratia, sub dato X. & XX. Octobris exhibitæ sunt: Elector quoque adhuc eodem ipso Mense Pragam regia magnificentia solemniter ingressus, honorificentissime exceptus, & inconsuetis, in Bohemia alias inauditis cæremoniis, vna cum Regia sua coniuge, IV. Nouemb. coronatus est: quæ omnia, in Germanicæ nationis atque S. Rom. Imperii summum præiudicium & ludibrium, æri incisa & impressa sunt: cumprimis vero quod IV. status, CCCC. virorum numerum excedens, mox prope nouum extructum propugnaculum cum vetusto vexillo, in quo Ziskæ nomen, calix, & hostia depicta cernebantur, nouum Regem exceperit, ipsi vero in vetustis grauibus loricis, galeis, hebetibus Hellebardis, ferreis flagellis, arcubus, & magnis clypeis in acie stantes Palatinum latina oratione excipiendo salutarint, & excitato cum armis suis strepitu Electorem ad risum (*ad singularem honorem Germanicæ nationis & S. Rom. Imperii, in memoriam eius, quod olim sub Sigismundo Imperatore accidit*) commouerint: ea omnia inquam omnibus circumstantiis repræsentata, in tam diuersis editis historicis relationibus in vernacula & lingua Gallica relata sunt: adeo vt non ita pridem Elector Palatinus, in regio tentorio sedens, in Hollandia depictus fuerit, à cuius tergo aliquot Germaniæ Principes, alijque Vniti dines, stantes quasdam pennas aquilinas porrigunt, quibus pellio Electoris regium pallium subducit: econtra aquila caueæ Organllinariæ inclusa & optumis suis pennis, quibus sursum ferri debet, spoliata conspicitur, quam Serenissimus Elector Saxoniæ cum gallo gallinaceo, præsago, trahere nititur: supra pileum & inuersam vestem pelliceam aliquanto propius Rex Hispaniarum cum Lyra, Spinola cum chorda, & Boucquoius cum tibia visuntur, qui pro vrceo agresti (*quo subditorum motus significantur*) agricolis commessantibus choreas modulantur: interea vero Ecclesiastici Electores & Principes, atque omneis simul Clerici à IV. Bohemiæ statu, & suis asseclis in foueam præcipitantur, &c. *In ista coronatione aurea & argenteæ moneta, semiregia, & semi-Cæsarea per V. manus sublata corona signatæ, publice proiectæ, & sub V. istis manibus notæ significationes subintellectæ sunt.*

Quid

Quid alias noui Bohemiæ Regis & Generalis confœderatus amicus, & frater in negotio isto contulerit & præstiterit, id Tyrnauiensis eius inuasio in Hungariam, Austriam, atque adeo ipsa ferme obsidio & clades ante Viennam testatur: item sua in publicis Comitiis facta conclusa, reiectio Ferdinandi, & electio suæ personæ, primo in Regni Principem, postea vero plane in Regem, à quibus forsitan peculiare sequi poterit indicium, &c. nunc dumtaxat epistolam, quam Gabriel Betlehemus ad Balassum Ferenzum, legatum suum Constantinopolitanum, biduo ante proiectas modo commemoratas aureas & argenteas monetas, misit, recensebimus, quod ipsi Principi Anhaltino forsitan minime ignotum fuit: in cuius exordio idem ille Betlehemus fidelissima sua Ottomanico Regno præstita officia prædicat (*cum commemoratione*) nisi à primario Vesiri impeditus fuisset, tunc iam non dumtaxat in Hungaria, verum etiam Bohemiæ Coronam iam dudum impetrasset: Se, Betlehemum, Ottomanicæ Portæ syncerum mancipium, & fidelem ministrum esse: commemoratum Vesirem in culpa fuisse quod Bohemi alium, XXII. annorum regem elegissent, cum quo sese vnius esse relligionis, visitare sese ambos sæpius per legationes, ipsum Regis Angliæ generum, matrem Principis Mauritij (*in Hollandia*) sororem, & Regem Daniæ regiæ, suæ coniugis proximum esse consanguineum: electum istum Bohemiæ Regem V. cæteros S. R. Imperij Electores (quum Septemuiratum Palatinum per se possideat) longe præcellere, cumprimis quod Elector Brandeburgicus cum ipso vnitus siet: Binos istos (*Palatinum & Brandeburgicum*) Cęsarē Ferdinandum amplius tolerare nolle, eumdem ipsi etiam Electori Saxoniæ displicere, iccirco electioni Mœnofrancofurtensi in persona propria (*verum Betlehemi agnatum*) non ieterfuisse: Immo Ferdinandum solummodo à II. Ecclesiasticis Septemuiris electum atq; coronatum fuisse: ex quibus " Portæ Dominos facile colligere posse, quomodo cum Ferdinandi Im- " perio comparatum fiet, nullam Imperialem ciuitatem (huc etiam per- " tinet, quod supra Princeps Anhaltinus, sub dato IIX. & IIXX. Septem. " scripsit: Legatos Hungaricos sibi istius regni statum detexisse, & exin- " de colligi, qualis videlicet in Germania electio suscepta fuerit, vide- " licet quæ nullius valoris, atque non diu duratura fiet) ipsi, Ferdi- " nando, parere, Bohemicos, Morauicos, Silesiacos, Lusatios, & Austriacos ipsum reiecisse: Se, Betlehemum, in caussa esse, quod isti Ordines hanc suam intentionem manuteneant: ita hoc modo Ferdinando illas ipsas prouincias subtractas fuisse, ex quibus

Octob. A.C. MDC. XIX.

NB.

NB.

Octob. quibus maiores prouentus & reditus annuos hactenus percepisset, A.C.MDC. quo facto ipsi alas, (*ad suum Betlehemi, & Electoris Palatini pallium*) cum XIX. quibus volasset, euulsas esse: Vice versa omnes istas Prouincias iam Sulthani bonos amicos, ipsique pollicitas esse quam diu Hungari, tamquam Turcorum Imperatoris mancipia (*ita Betlehemus Hungaros nuncupat*) cum Porta pacem coluerint, tum confœderatas Prouincias simile facturas, quoties etiam Hungari ordinaria munera missuri sient, sese tum paria honoraria simul, Prouinciarum gratia, (*i-* NB. *ta Bohemia, Morauia, Silesia, Lusatia, & Austria hæreditario Christiani nominis hosti sua sponte sese tributarias faciunt*) tramissuras esse: Nunc Sulthanum ab istis Prouinciis, quarum beneficio Carolus V. Ferdinandus I. Maximilianus II. & Rudolphus II. bellum (*contra Ottomannicum imperium*) esse liberum, à quibus ipsi ne minimum quidem periculi metuendum Nouem. sief: sese, Gabrielem, capite & anima sua testari: quod omnes istæ Pro-A.C.MDC. uinciæ (*quæ cum Vnione correspondeant, & certo fædere inter seinuicem copu-* XIX. *latæ sient*) Sulthano & toti Nationi Mahometicæ corde & anima om-NB. NB. nia fidelissima officia præstituræ sient: Quoniam etiam à Venetiis vsque ad Canisam, & exinde ad Budam & Morauiam vsque aditus vndique interclusus siet, & hoc tempore Bohemici, Silesiaci, & incorporati Ordines & Prouinciæ, vna cum Transyluania in deuotione Ottomannica constanter perseuerent, iccirco Tartaros cum Turcicis copiis militaribus facillime Podoliam inuadere posse. In Ferdinandi potestate duas solummodo vrbes sitas esse, Viennam vnam, Neapolim alteram: & nisi frigoris vehementia sibi obstitisset, iam Viennæ sese hybernaturum esse: in ea plureis reperiri Lutheranos, quam idololatras (*ita Catholici ab Betlehemo appellantur*) qui ipsos etiam idololatras inuasuri fuissent: quod autem hoc nondum factum siet, id nil referre. Tempore Verno sese, tanto Hungarorum Germanorumque numero, Viennam (*Pragam volebam dicere, vbi ipsius auxiliareis militareis copiæ vno anno & duobus diebus, post huius epistolæ datum, tam fortiter in Moldam præcipitati sunt*) obsessurum, vt de eo post seculum etiam dicendum siet; Supremum Vesirem in hodiernum vsque diem ne vnicum quidem virum sibi auxilio misisse, nihilominus tamen Deum & Sulthani fortunam tantum quidem profecisse, vt ante commemoratam istam ciuitatem LIV. Hungarorum, & XXXIV. Squadronos Germanorum (*Comitis à Thurn militareis copias*) duxerit, vbi triduo in Cæsaris horto commoratus fuerit, & per omnia LXII. militum M. penes sese

ſeſe habuerit. Interea Humanaium in Hungariam irruptionem feciſ- Nouem.
ſe, cui tamen ita obuiam miſſum eſſet, vt parum ſane, vti ſperet, effe- A.C.MDC.
cturus ſiet: Exinde tamen colligi, quomodo Rex Poloniæ pacem cum XIX.
Porta concluſam ſeruet: hyberno enim tempore pacem efflagitare, æſtiuo autem Sulthani deuaſtare Prouincias: Sin vero negotium ſibi demandetur, ſeſe tum Poloniam hoſtiliter inuaſurum, iam enim ad id media & occaſiones in promptu eſſe, quæ antea nuſquam exſtiterint: Ferdinandum per legatos ſuos pacem & miſericordiam eius, Betlehemi, imploraſſe, quibus tamen ſeſe adſpectum etiam denegaſſe: "eumdem, Ferdinandum, manus, abſque ſe, bene manus lauere poſ- " NB.
"ſet: numquam enim illum duas iſtas coronas recuperaturum eſſe, ſed
"eo rem inclinare, vt etiam ex omnibus ſuis hæreditariis Prouinciis
"pelli poſſit, & exinde in Hiſpaniam confugere neceſſum habeat. Seſe, Betlehemum, mirari ſatis non poſſe, vbi Veſires cerebella & intellectus ſuos repoſuerint, vt hoſtem ſuum non cognoſcant: Ferdinandum ſororem ſuam in Hiſpaniam matrimonio elocaſſe, Poloniæ Regem vero, maledicti Romani Pontificis diſpenſatione, binas ipſius ſorores alternatim duxiſſe, qui omneis contra Ottomannicam portam fœdera iniiſſent, vt hoc modo Mahometanam relligionem (*Ecce quam fideliter Caluinianus Turcorum Sectæ patrocinatur*) per mare, &
"per terras infeſtaret, à Bohemicis & Hungaricis ordinibus vero
"(*egregium ſcilicet elogium, quod Hungari à Betlehemo accipiunt*) hac in re
"fuiſſe impeditos: niſi autem iſtis ordinibus auxilium præſtitiſſet,
"ſuccumbere neceſſum habuiſſent: & tum Rex Hiſpaniarum, Fer-
"dinandus, & Rex Poloniæ intentioni ſuæ inuigilaſſent: exinde
"Sulthanum, quod impreſſio iſta irrita fuerit, nemini alij, quam ſibi, Betlehemo, condignas debere gratias: Hactenus ſeſe Ferdinando vltra XXX. militum M. trucidaſſe, multos præcipuæ dignitatis viros ex ſuis aſſeclis captiuos aliquandiu detinuiſſe, paulo poſt tamen graui ære redemptos ac ita nudam dumtaxat animam iterum retro miſiſſe: ex quibus cognitum manifeſtumque eſſe, qualia nimirum officia, in Ottomannicæ portæ gratiam, præſtiterit, quæ & impoſterum quoque minime intermiſſurus eſſet, ſi modo Dominus Veſiris ſuam, Betlehemi, ſententiam & fidelitatem, quam erga Sulthanum gerat, ex hactenus ſuſcepto labore & moleſtia agnoſceret, &c.

Nouem. A.C.MDC. XIX. *Quod vero omne illud, quod iam ex Betlehemi epistola aliquanto latius & copiosius demonstratum est, non dumtaxat sua, verum etiam correspondentium confœderatorumque intentio fuerit: immo quod Vnionis Directores ad illam metam vnice & solum collimauerint, quo pacto videlicet Romano-Catholica Relligio in Germania, Hungaria, & Bohemia funditus extirparetur: quodque effectus satis superque testatum fecerit, quomodo cum Catholicis omnibus in locis, vbi superiores euasissent, cumprimis in Hungaria & Morauia, procedendum fiet: id ex Achatii Baronis à Dona, sub dato V. & XV. Nouembris, A.C.MDC.XIX. ad Principem Anhaltinum exaratis litteris liquido apparet, vbi inter alia rotunde fatetur*: quod videlicet Betlehemi Vnitorumque intentio fiet *pied à pied (verba ipsius formalia)* h.e. Antichristianum Papatum extirpandum; cui intentioni etiam ipsum Regis concionatorem aulicum, (*Scultetum*) qui zelum Betlehemi non satis extollere posset, per omnia subscribere. *Paullo ante*, XII. *nimirum Octobris, Marchio Onoltzbachicus conqueritur*: Electorem Palatinum eas ipsas militareis copias, quæ in Bohemicis finibus siue limitibus aliquandiu commoratæ fuissent, euocasse, quas secum in Bohemiam ducturus esset, adeo quod ijs in locis non amplius quam duæ equitum, & duæ peditum Compagniæ rellictæ fuerint: cæteris autem copiis, ad occupanda quædam loca Bohemiæ, Elector vti velit, &c. Nunc autem sese, Onoltzbachicum, non libenter visurum, vt, dum Elector Palatinus & Princeps Anhaltinus in Bohemia res suas expedirent, suas & Vnitorum interim in S. Rom. Imperio corrumperent: metuendum enim esse id fieri posse, sin Elector Palatinus cum Vnionis exercitu Cæsareanos inuasurus esset. Vice versa sperandum in conuentu Correspondentium bonam resolutionem subsequuturam, (*qualis hæc resolutio futura fiet; id Plessæus in quadam epistola, sub dato XXVII. Nouemb. infra declarat*) quæ Bohemis multo vtilior futura foret, quam si exilia aliquot loca alibi occupentur, econtra tamen res in Imperio (*subintellige* ATTAQVE *in Episcopatu Bambergensi & Herbipolensi*) pessumdarentur. Sin de conferenda manu, impressione, vel prælio res agenda fiet, quo principali intentio vtiliter succurri posset, sese non adeo fortiter restiturum & mutaturum, quod vero hostis in difficili & raro loco mundari debeat, (NB. *quam honorifice*) id labore & molestia haud dignum esse, &c.

Et hanc

Et hanc sane epistolam Anhaltinus in malam partem interpretatus est: quocirca in sua responsione, sub dato XIV. Octobris, inter alia sequentia scribit: Sese nullo modo hostem, quem Comes ab Hollach post se relliquisset, mundare velle, citius enim D. Ehreri Pilulis vsurum, & honorem istum alij concessurũ: haud enim aliter sese hactenus putasse, quam quod Onoltzbachicus modum inuasionis, & quibus locis præsidia imponenda, (*de quo Rotenburgi, Heydelbergæ, & Onoltzbachii Vniti inter se conuenerant*) approbauerit: exinde sibi imaginari minime posse, quur iam Onoltzbachicus sententiam suam mutet: absque omni dubio Iustum Noldium, vel alium garrulum quemdam graculum hanc discordiam excitasse. Nouem. A. C. MDC. XIX.

Paullo post commemorati isti duo Domini iterum reconciliantur. Nam idem Marchio Onoltzbachicus, sub dato XXVII. Octob. inter alia hæc proponit: Anhaltinus Patauium occupet, cum cæteris vero Vnionis copiis militaribus altera impressio fiat: vereri autem sese Imperiales ciuitates istiusmodi ATTAQVE (*ita Anspacensis loquitur*) secundum Vnionis terminos non conforme reperturas: verum regem sua præsentia omnibus istis idonea applicaturum remedia. *Eodem in loco Onoltzbachicus Compagnias in specie enumerat, quæ ad notam istam impressionem vsurpari debeant*: quod nimirum Compagnia Generalis, siue Anhaltini, duæ Lichtensteinicæ, vna Ducis Würtenbergici, vna Saxonis Vinariensis; vna Charlis Lamberti, in omnia DCCC. equi, & V. peditum Compagniæ ex Prouincialibus collecta Electorem Palatinum in Bohemiam comitari: econtra autem in superiori Palatinatu alteræ duæ Lichtensteinicæ, cum vna Comitis Cratonis Compagnia, & M. alij conscripti milites commorentur, & paullo ante commemoratum ATTAQVE cum ijsdem exequatur. *Quur autem Onoltzbachicus istam impressionem proposuerit, hanc esse caussam*: Quod Norimbergenses in suis ad Onoltzbachicum datis litteris Vnioni aureos montes promisissent, modo res non ita præcipitarentur.

Subsequenti XXVIII. Octobris idem Marchio aliud proponit, idque in litteris ad ipsum Electorem Palatinum datis: dum inter alia Electori commemorat, quomodo videlicet cũ nouis ex Italia aduentantibus copiis militaribus cõparatum fiet, quæ ipsorum intentioni & conatibus contra Romano-Catholicos aliquo modo obstare videantur, inquiens: Copiis istis aditum neutiquam intercludi posse, nisi Pregencio & Villaco occupatis, quæ ambæ

Nouem. A.C.MDC. XIX. Austriacæ, similiter & si Darrepiere Comitis Altempsij occuparetur: quæ muris circumdata loca etiamsi minus sient munita, nihilominus tamen vi maiorum tormentorum & petardorum in arctum redigi. Licet quoque Itali isti milites vndique sese in montibus recondere possent, attamen è Sunthouio progredi necessum habere, in quo lato planoque campo, tribus dumtaxat milliaribus à Memminga distante, facile obrui possent. Verum enimuero si ad destinatum scopum perueniri velit, necessum prius esse, vt per Immestadium, (Austriaco præsidio è prouincialibus collecto munitum) vel tamen iuxta vrbem, atque per munita claustra progredi oporteat: iccirco, vti quidem sese existumare, minime consultum fore, vt, rebus ita constitutis Marchionatus milite & præsidio suo nudari debeat, sed à Kembtensibus petiis an peditum Compagniam & Memmingenses totidem intromittere, atque adhuc CCCC. Würrenbergicos equites, sub imperio Cratonis Comitis ab Hollach, circa vrbem commorari passuri sient, vt inibi aduentantibus Italis obuiari posset: si autem pars Italorum eosdem Kembtenses infestatura vel vi transitura esset, sese, Onoltzbachicum, ipsis fortiter restiturum, nec vllo modo ab isto suo proposito sese dimoueri passurum.

Interim destinatus conuentus correspondentium Norimbergensis (vbi contra Catholicos rigor & inuasio conclusa) adpropinquauit, cui Bohemiæ ordines, pari modo vt Heylbronnæ, interfuerunt, cumprimis autem Ruppa plane in Senatum allectus, &, teste epistola magni aulæ Palatinæ Magistri, sub dato VIII. Nouemb. ad Principem Anhaltinum, & ad eamdem subsequuta responsione, sub dato IX. eiusdem, singulari iuramento (tamquam nunc certo modo Vnionis status) obstrictus fuit. XII. autem eiusdem mensis die per Principem Anhaltinum ad Burcardum Erlacum peculiaris quædam instructio comprahensa, qua idem Erlacus Norimbergam versus proficisci, inibique præsentibus ordinibus per Marchionem Onoltzbachicum, nomine toties commemorati Principis Anhaltini, in V. puncto proponere & remonstrare necessum habuit, quod nimirum ante omnia eo potissumum spectari debeat, vt continuatio & alimentatio exercitus procederet: Item tentaretur, quam prope, Bohemici negotij caussa, in puncto confœderationis res attingi queat: econtra cum adnexis punctis, vel supplicationum consilio, vbi nihil aliud quam litteræ commotoriæ proponantur, attamen in effectu nihil subsequatur, cumprimis

primis maturandum festinandumque esse. *In 6. puncto Anhaltinus refert:* Nouem.
nil magis adeo esse necessarium, quam considerationem continuan- An.C.M.
dæ militiæ. *Item in 7. puncto idem ille Anhaltinus inquit:* Sin quæstio insti- DCXIX.
tuatur quæ ipsius, ob Bohemorum propositionem, fiet consideratio: NB. NB.
respondendum esse, sese hodierno isto statu pro Vnione eo magis magisque vtile atque necessarium deprehendere: propositionem illam nihil amplius esse, quam reassumptionem prioris tractationis, quę iam lenioribus astutioribusq; circumstantiis pro Vnione expediunda fiet: Tantam siquidem, Deo gratia, cohærentiam tam eximiorum regnorum & Prouinciarum iam in promptu esse, quæ inter se inuicem pro communi Euangelico (*.Caluinistico.*) negotio fidelem & commodam manuum porrectionem (*Ecce V. manus Coronam Bohemicam subleuantes.*) præstare possint: ni enim id fiat, Deum Ter Opt. Maxum. procul omni dubio grauissime puniturum, sin tam idoneæ exoptatæq; occasiones negligantur.

Eodem sane die, in quo commemorata ista Anhaltina instructio data fuit, magnus aulæ Palatinæ Magister inter alia scribit: Numerum Norimbergæ præsentium Principum non adeo, vti sperabatur, magnum esse, quod procul omni dubio aliquot Ordinib. terrorem incussurum fiet: Quosdam rem eo intelligere, Vnionem, nisi maiores vires acquisitura esset, huic negotio non satisfacturam, neque armaturam iam in manibus habentem conseruaturam, multo minus maiores militareis copias conscripturam: idcirco Electorem Palatinum cum legatione in Angliam nimis festinare, quem in finem duos fratres, Barones à Dona, (*Achatium & Christophorum subintellige.*) Norimbergam versus vocatos esse, iam instructionem haberi sub manibus: interea litteras allatas esse à Comite Ioanne Nassouio: in Hollandia rem non eo intelligi velle, quod Confœderatio, ab Vnitis cum Stadensibus conclusa, ad Bohemicum negotium extendenda fiet: ipsam itaque necessitatem requirere vt articuli isti coram Stadensib. bene explicentur, & ab iis expressa declaratio petatur, ne quid forsitan inchoetur, & Stadensium viribus fidatur, (*.antehac Stadenses, vti supra videre est ex ipsorum epistola ad Vnionis Ordines, sub dato 15. Iulii, exarata, ad Bohemicum negotium sese libere & sua sponte obligauerant Bohemis omnem adsistentiam & subsidia præstandi, quantum quidem præsens occasio permissura esset.*) antequam eius rei ipsis certa facta fuerit assecuratio.

Postridie, 13. videlicet die Nouembris, (.postquam paullo ante Marchio Onoltzba-

Nouem. A. C. M. DC. XIX. *noltzbachicus, sub dato 7. eiusdem, ad Principem Anhaltinum ob præclaram quamdam oblatam occasionem occupandæ Ratisbonæ, scripsisset.) antecommemoratus magnus aulæ Palatinæ Magister iterum vires melioremq; animum colligit & terrorem, quem ipsis paruus præsentium Norimbergæ Principum numerus incusserat, quodque Stadensium viribus Vniti ad Bohemicum negotium non omnino & certo inniti potuerint, iterum ex animo dimittit, & ad Anhaltinum scribit:* negotium per integrum biduum in consilio magistraliter tractatum, & vnanimini omnium consensu æstumatum esse, quod cum grauaminibus (*. hic prætextus semper apud Caluinianos palmam obtinet.*) ad extrema peruentum fiet, adeo vt res ægre ad Compositionem peruenire queat: iccirco via facti, tamquam tutissima & certissima, (*. embrasser la voye de faict comme la plus seure.*) arripienda (*. Proh DEVM immortalem si vmquam Catholici tale decretum condidissent, vel simile quidpiam scripsissent.*) extra quam (. viam facti.) inquit Solmensis, ex garbuglio numquam posse elabi &c. attamen, ad conseruandam
NB. NB. existumationem Cæsar & Dux Bauariæ (. cum Bauariæ Duce res
„ processit, ast cum Cæsare negotium dilatum fuit, idque tituli gra-
„ tia, Correspondentes enim Ordines illum pro Bohemiæ & Hun-
„ gariæ rege amplius agnoscere noluerunt.) antea interrogentur, num
„ pacem vel bellum mallent: quodque pari modo Saxo sollicitandus
NB vt videlicet sese huic decreto (*. viæ facti.*) accommodet. Posthabitis tamen istiusmodi sollicitationibus nihilominus talem defensionem decernendam esse, quæ semper & absque vlla mora expediri, & sub
NB. manibus quasi haberi semper possit. In thesi (*. Catholicos inuadendi.*) comparationem factam: sin vero ad hypothesin res deueniat, (*. vbi initium faciundum, & quam late ab initio progrediundum fiet.*) verendum esse, ægre rem processuram, & tarde vnanimem omnium consensum subsequuturum esse.

Triduo post illam epistolam, 16. Nouembris Anno Christi M. DC. XIX. subintelligatur, sæpius nunc dictus Comes Solmensis latius procedit, & præparatoria attingit in hypothesi, repetitque contenta prioris suæ epistolæ. Item: In thesi conclusum, nulli amplius verborum solatio fidem habendam, sed post Deum omnem spem in armorum vsum (*. dans les armes.*) collocandam: nihilominus quoties ad particularia, & illa, quæ ad bellum requirantur, perueniatur (*. Ecce, vires desunt, non voluntas.*) vbique ferme impingi: decretum itaque esse, vt prius cum crumena ineatur ratio, quid videlicet expensum, quid expendendum, & quid amplius

in

in Cassa restet: hoc puncto absoluto, ad cuius tractationem tamen aliquot adhuc dies requirãtur, tum videri posse, quorsum scilicet resultatio (*. & Vnionis nauicula, de qua Onoltzbachicus 31. Iulii Anno Christi M. DC. IIXX. supra scripserat.*) inclinet. Magnam, *pergit Solmensis*, inter Ordines esse confusionem, & de rationibus ægre conclusum iri: Vice versa quosdam ex Ordinibus, nisi ipsis sufficiens præstetur scrupulosæ rei declaratio, ad Continuationem sese non accommodaturos, non abs re itaque futurum, vt Carolus Pauli, Heydelbergensis aulicus rei numariæ præfectus, præsens adesset, præsertim Electoralis Palatinæ quotæ caussa, de qua inter Consiliarios nemo recte informatus esset, quid nimirum in cassam debeatur, necne: Ex duobus fratribus, Baronibus à Dona, vnus, in Angliam mittendus, etiam cum Generalibus Dominis Stadensibus tractaturus esset, quantum videlicet ad Bohemicum negotium in specie conferre velint, licet illud negotium in Confœderatione cum illis (*. ante Bohemicos motus exortos.*) nominatim minime comprænhensum siet: Illum ad N. coram Marchione Badensi sese eo declarasse, sin apud Electorem Palatinum rem eo deducere posset, vt Corona Bohemica cederet, tum ipsum eo adlaboraturum vt Electorem relicti filii quomdam Marchionis Eduardi non amplius impetituri essent: verum legatum istum, qui regi talia proposuisset, tali gratia dimissum fuisse, vt procul omni dubio istiusmodi negotia non amplius propositurus siet &c. Alias in Rippelii personam oculum coniiciendum, quum inter Lutheranos in Bohemia fide polleat: rem tamen ita prudenter tractandam esse, ne eo ipso facto Lutherani forsitan offendantur. *In postscripto idem ille Solmensis scribit*: Vnitos Generales Stadenses illam pecuniæ summam Electori Palatino promisisse, quemadmodum Anhaltinus non ignoret, idque absque omni difficultate.

Nou. A. C. M. DC. XIX.

NB.

Plessius præcipuorum intimorumque Electoralium Palatinorum Consiliariorum vnus, qui, iuxta D. Camerarium, in hoc negotio nullum non mouit lapidem & cui Secreta Missæ cognita fuerunt, plenariis particularib. Vnionis hypothesin declarat, quomodo nimirum res sese cum illa habeat, & quid Norimbergæ in Conuentu Vnionis, ex quo ad Ducem Bauariæ peculiaris legatio destinari debuit, contra Catholicos tractatum atq; conclusum fuerit, idq; in peculiari epistola, de dato Norimbergæ 27. Nouemb. Anno Christi M. DC. 19. ad Principem Anhaltinum, quæ, importantiæ gratia, iuxta omneis ferme circumstantias heic inserenda fuit: Post iacturam non exigui dumtaxat temporis, & profusionem magnorum

sumptu-

Nouemb. An.C.M. DCXIX. sumptuum, inquit Plesseius, hac in nauigatione terras demum conspici: quales autem antea(*.priusquam rationes paululum initæ fuerint.*) tempestates subortæ essent, id Anhaltinum ex Electoris Palatini & magni aulæ Palatinæ Magistri litteris procul omni dubio satis percepisse: Inter alia tres in medium allatos esse articulos, qui pro Palatino non admodum bene successissent. I. Quod Vnionis Confœderati serio obstiterint, ne videlicet Vnionis vires in Bohemiam ducerētur: si enim hoc fieret, Electoris Palatini sumptus augeri, & nihilominus Electorem ad quotam Vnionis erogandā teneri, sumptus præterea in Bohemia (*.ad alendam istis in locis peculiarem armaturam.*) ipsi ferme soli incumbere: vt iam taceatur quod inferiori quoque Palatinatui idonee caueri debeat, extra illud quod Vnionis Ordines in sese receperint Palatinatum istum omnibus modis defendendi atque protegendi. Nunc autem Electoris quotam, ad Vnionem contribuendam, in immensum crescere, cumprimis sin centum mensibus, fidem concernentibus, adhuc L. alii menses, in emolumentum Ordinum, addantur, ex quibus colligatur, istum sane articulum non leuis alicuius esse momenti, cui non immerito in tempore atque quamprimum idonea applicanda remedia. Ad II. articulum quod attinet, verendum esse, quod Elector Palatinus menstrua VI. florenorum M. quæ, tamquam Generalis, ab Vnione accipiat, postponere necessum habeat: sin enim istorum solutio tantopere vrgeatur, quosdam ex Ordinibus forsitan offendi posse, sub prætextu, quasi recessus, in hoc puncto expresse declarati, ex parte Palatini minime seruentur: interim Plesseium adhuc serio instare, an media in promptu sient, ad persoluendos L. menses, qui de C. fidem concernentibus mensibus adhuc restarent, quod tamen inter milites magnam confusionem excitaturum esset. III. atque quidem præcipuum punctum in hac quæstione adquiescere, quo, quomodo, & qua commoditate siue vtilitate Vnionis militareis copiæ vsurpandæ sient! hoc est an nunc sacrifici (. heic videre liceat num Vnio defensiue vel offensiue, ad tollenda grauamina, vel inuasionem Ecclesiasticorum intelligenda.) hostiliter obruendi, nec ne! Ordines resolutionem istius puncti Electori Palatino, tamquam Generali & Marchioni Onoltzbachico Electoris Generali Vicario tradidisse, qui cum Consiliariis bellicis, & illis qui insectis pontificiis (*.prestraille.*) aliquanto viciniores ea de re deliberare & concludere possent. Heic autem diuersimodæ considerationes coincidunt, quibus ante quærenda & applicanda remedia

media

media, idque per delegationem quamdam ad Sereniſſimum Ducem Bauariæ num videlicet Categorica reſponſio ab eo extorqueri poſſet: Se, Pleſſeium, vero Ordinibus in memoriam reuocaſſe Bauariæ Ducem iſtiuſmodi reſponſionem dare poſſe, vt iam, quemadmodum & antea, minime ſciatur quid factu opus eſſet, immo iſtam Vnitorum propoſitionem ſiue intentionem ad ſui emolumentum conuertere poſſe: Sin enim res aliquanto acutius intueantur, & melius conſiderentur, facile Confœderatos per propriam iſtam ſuam propoſitionem ſibi ipſis manus colligaturos, & Electori Moguntino atq; Bauariæ Duci moram tempuſq; conceſſuros, vt non dumtaxat militarium copiarum conſcriptiones non intermiſſuri, ſed multo potius maiores vires adquiſituri eſſent. Electorem Palatinum inter alia feciſſe mentionem, ſeſe Pleſſeium verſus Monachium mittere decreuiſſe, vt non ſolummodo cum illo Duce tractationem ſuſciperet, verum etiam priorem declarationem & antehac vtrimque factam bonam Correſpondentiam (*en Caluinianos fucos, & fucatam amicitiam.*) renouet, atque magnam ſingularis amicitiæ & confidentiæ adfectionem demonſtret: verum Pleſſeium ſentire melius conducibiliuſque fore, ſi Fredericus Comes Solmenſis ad iſtam legationem deſtinaretur, qui hoc in negotio meliorem vtilioremque operam locaturus eſſet.

Nouemb. An. C. M. DC. XIX.

NB.

Quo melius autem res iſto in loco expediantur, neceſſarium fore vt delegato peculiaris epiſtola & priuata inſtructio communicetur, quæ à principali inſtructione ſeparata ſiet: ad quam Legationem Cancellarius Stuccardianus commode vſurpari poſſet. Subſtantia memorialis forte, attamen ad Principis Anhaltini meliorem correctionem, eo dirigenda eſſet, an videlicet commemoratus iſte Dux in neutralitate conſeruari poſſet, adeo vt non tantum nudum verbum, verum etiam ſcripto compræhenſam aſſecurationem de ſe tradat, vt nimirum exercitum ſuum pro ſe ipſo retinere, non vero contra Vnitos & Bohemos vſurpare, multo minus, in Proteſtantium Bohemicorumque Ordinum, & incorporatarum Confœderatarumque Prouinciarum perniciem atque detrimentum, eumdem (.exercitum.) alii committere, neque vel contra Bohemiæ regnum, vel Vnitorum Ordinum populos & prouincias hoſtiliter aliquid moliri velit: vice verſa Elector Palatinus peculiari obligatione ſeſe eidem Duci (. Bauariæ.) obſtringeret, nè videlicet Vniti neq; aduerſum ipſum Ducem,

Nouem. An. C M. DC. XIX. neque contra eiusdem fidei concreditos populos atque Prouincias (*. quam diu? donec res in Bohemia recte stabilitæ essent, quemadmodum ex bona Stadensium intentione inferius colligitur.*) vllam quamdam hostilitatem exercere debeant. Sin igitur Serenissima ipsius Cel. in hoc consentiret, magnum id Electori Palatino emolumentum, tam ratione regni Bohemiæ eiusdemue incorporatarum Prouinciarum, quam Vnionis caussa pariturum, econtra vero illud ipsum L'gistis in Germania plurimum derogaturum. Sin autem petita ista Bauarus denegaret, exinde manifestissime tum colligeretur, quo nimirum ipsius cogitationes directę essent: Electorem Palatinum & Vnitos quoque deinceps sua consilia & actiones iuxta illud instituere posse. Statuere tamen sese, Plesseium, Ducem ita responsurum esse, quod nimirum neque ipsum Electorem Palatinum, neque Vnitos, illosque, quos defendere necessum habeat, tamdiu offensurus fiet, donec de eodem Serenissimæ ipsius Cel. suisque consortibus idoneè caueatur. Si itaque per consortes duo dumtaxat, vel tres Episcopi, Bauariæ Duci finitimi,

NB. subintelligerentur, vtpote *Augustanus*, *Frisingensis*, *& Ratisponensis &c.* tum, vti quidem sese existumare (*. hæc Caluinistica ad quietem & Concordiam spectantia consilia & veritates.*) conniuendum esse, vt cætera libere atque impedite (*. in Orientali Francia, Bamberga, & Herbipoli: Item circa Rhenum contra Moguntiam, Spiram &c.*) exequantur; hoc n. modo, pgit Plesseius, ipso effectu Bauariæ Ducem ab Archi: & Episcopatibus separari. Dubium tamen esse, an ita sæpius nunc commemoratus Dux Bauariæ sese declaraturus esset, nec ne: sin minus faciat, tum, arrepta exinde occasione, Coloniæ, Dusselopagi, aliisque circumiacentibus in locis conscriptis Copiis militaribus eo melius faciliusque transitus prohiberi posse. In summa, *inquit Plesseius*, si Bauariæ Dux ad neutralitatem flecti atque commoueri posset, tum nullum esse dubium id tam ipsi Electori Palatino, quam Vnioni plurimum profuturum: nisi Bauariæ Dux eo rem intelligi vellet, vt Romanorum Imperatori contra Gabrielem Betlehemum auxilium ferre audeat: qui (*. ecce, qualem pro Betlehemo curam gerant?*) tum malam in partem interpretaturus fiet, quod in tractatione ipsius nulla facta fuerit mentio. Hisce omnibus autem in eo obuiari posse si dicatur, sub vocabulo incorporatarum &

NB. NB. Confœderatarum Prouinciarum etiam Hungariæ regnum compræhendi, idque Confœderationis caussa, quæ Principem Anhaltinum minime lateat. Sin autem Betlehemi expressa (*. hoc in loco probe considerandum.*

-randum est, quam lubenter Ducem Bauariæ ista cum æquiuocatione seduxissent.) fieri debeat mentio, verendum Bauariæ Ducem in id tum minime cō-sensurum esse: attamen eius rei caussa forsitan illum nullas difficultates prætensurum, quod maxumopere sibi ab Hungaris (.quemadmodum videre fuit, eo tempore, quo Hungari ante Pragam in Moldam præcipitabantur.) metuat, & ante omnia ad propriam suam assecurationem, populorum, dominiorum, prouentuumque suorum conseruationem (.Anhaltinus & illius asseclæ vero ad peregrinas Prouincias & regna.) spectare videatur: Dextre tamen hoc in casu res aggrediundas, & subintelligendi facultatem dandam esse, vt videlicet, ex parte Vnitorum, syncere (.hoc est Caluinistice, dolose & astute.) agatur. Et hæc, quantum quidem ad Bauariæ Ducem attinet. Cætera Vnitorum Consilia (.Plesseius porro scribit.) quod concernit, tempus ipsum nunc monere vt tamdem ad Conclusum perueniatur, quo nimirum Vnionis armatura siue vires conuertendæ, ne sumptus temere impendantur: Definitionem autem huius puncti in tribus quæstionibus consistere. Nam vel offensiue contra aduersam partem procedendum illamque adoriundam, vel defensiue permanendum, militareisque copias imposterum, vti & hactenus, in alto otio temere alendas, aut, sin præposteri sumptus euitari velint, vel vnam partem, aut totam armaturam dimittendam esse: In vltimi puncti consultatione autem depræhensum esse, quod militis dimissio hoc tempore minime fiet conducibilis. Nouem. A. C. M. DC. XIX

Ad illam autem quæstionem quod attinet, quo & quomodo Vnionis vires videlicet vsurpandæ fient, ne vniti sumptus frustra impendissent, omnemque molestiam, laborem & periculum vna cum iactura reputationis amisissent, neq; perpessorum Vniti Ordines vllum refrigerium accepissent: in eo nullum melius depræhendi medium, quam vt aduersæ partis Prouinciæ inuadantur, (.est igitur hoc defensiue agere?.) & Vnionis militareis copiæ ijdem imponantur: eo inclinare etiam deputatos Durlacenses (.vbi incendium magis magisq; excitatur.) publice: hanc intentionē tamen non adeo facile impleri posse, veluti forsitan (.ex parte Durlacensis.) sibi quispiā imaginari posset: Sin n. copiæ sacrificis singillatim hinc inde immittantur, facile fieri posse, quod, quū Ecclesiastici iam etiā in armis, Vnionis milites inde iterum expellant: Sin a. (.quemadmodum paullo ante, tempore Rotenburgici Conuentus, factum.) copiæ congregandæ, & in vnum corpus redigendæ essent, quæ ad 5.6. NB. " "

Nou. A. C. M. DC.XIX. vel VI. militum M. sese extenderent, tum Prouincias & Ciuitates Vnitorum præsidiis suis vndiq; ferme nudandas esse, quæ tum sese aduersus metuendum impetum neutiquam defendere possent: Sin vero Vnitorum copiæ in Alsatiam introducendæ, tum Lotharingos atq; Burgundos eruptionem facturos, atq; tum Vnitis idē euenire posse, quod eo tempore accidit, dum, exortis motib. Iuliacensib. Burgundi & Lotharingi, Episcopatum Argentinensem tamquā proprias suas Prouincias strenue defendentes, breui temporis spacio fortiores superioresq; euaserint. Sin in Episcopatum Spirensē mittendæ, Lotharingos & Lu-

NB. cemburgicos tum minime quieturos, sed in Imperium incursionē facturos, quo bellum in Palatinatum inferiorē deriuari posset: adeo vt tā arduo negotio non tam bene ꝓspiciatur, quin ad minus Palatinatus nō deuastari posset, etiāsi ꝑ Electore Palatino Prouincia cōseruaretur.

NB. Nunc Moguntiam, Herbipolim, Aichstadium, & Eluangam „ (*Ecce, quam candide cum Catholicis agatur.*) adhuc restare: Hosce sacrificos „ (*scribit Plessæius.*) plenis horreis frumentariis, cellisq; vinariis instructos „ esse, apud quos Vnionis copias sese bene sustentare possent. Eod. tamen in casu etiam ordinem seruandum, & probe considerandū esse, quomodo in Vnionis emolumentum, ista inuasio instituenda fiet: Si n. milites apud commemoratos istos sacrificos pro Discretione sua omnia consumpserint, & ipsis imposterum, vti & hactenus, ex Cassa Vnionis stipendia persoluenda fuerint, paruum sane exinde lucrum, si aliquando dimitti debeant, expectandum esse: quocirca, iuxta Plessei intentionem, prius omnia vnanimi omnium consensu rite disponenda, quomodo videlicet cum Vnionis fructu eiusdem Copiæ in Archiepiscopatum Moguntinum, Herbipolensem, Aichstadianum, & Eluangensem Episcopatus immittantur. In hoc itidem puncto diligenter considerandum esse, quæ ex Occidentali Gallia, & Sylua-Comitis adferuntur: itaq; Anhaltino insertos Discursus Monsieur Aerseni (*qui Principalis Stadensium, iuxta ipsius subscriptionem, Secretarius,*) ad se Plesseium &c. Itē illius à Plessis (*q. corā Henrico IV. in disput. contra Episcopū Peronnensem, iam Cardinalem, ceu in sole butyrum, exstitit.*) ad Gueretinum, bonum Correspondentem VVürtenbergicum, diligenter ponde-

NB. randos esse. Illos omnino dissuadere, sacrificos mox ab initio inua- „ dendos, sed exitum in Bohemia expectandum, & negotium istud „ prius recte stabiliendum esse ex caussis in discursibus illis allegatis. „ Sed quæstio adhuc possit institui num fieri posset, & an possibile etiam esset,

esset, vt moderatio ista locum habere possit, & an videlicet sacrifici Nouem.
absque colore inuadendi sient: Sese, Plesseium, Anhaltinum huius rei A.C.MDC.
gratia ideo certiorem reddere voluisse, an nimirum lubeat negotium XIX.
istud vlterius perpendere, & rationes pro & contra ponderare, in No- " NB.
rimberga siquidem tempus, ad istiusmodi negotia perpendenda, minime haberi pellectis istis (*discursibus Ærsenis, Pleßis, & Gueretini*) vna cũ N. litteris sese, Plesseium, hac vice repetere, &c.

Ex commemoratis hisce omnibus manifestißime videre est, Vnionis intentionem & præparationem bellicam, non (vti vniuerso terrarum orbi glaucoma obiicere nituntur) ad pacem & concordiam, vel nudam dumtaxat defensionem, verum ex proposito vndique contra Catholicos, ipsos obruendi, Caluinisticam doctrinam dilatandi, primas obtinendi, & astutiis atq; insidiis negotium suum expediundi, susceptam fuisse: ab eodem Plesseio quoque in postscripto suo peculiares aliquot legationes adnectuntur, quæ in Hollandia, Occidentali Gallia, Hungaria, & Transyluania, ex parte Electoris Palatini & Principis Anhaltini, partim instituta, partim vero adhuc institui debuerunt. Et porro: Ducem Boullionæum hac septimana nihil scripsisse, absque omni dubio ipsum morbo suo fuisse impeditum. Item, &c. Sese magno aulę Palatinæ Magistro & D. Camerario sententiam suam manifestaturum, quæ porro adhuc Regi Daniæ, & Duci Brunsvicensi, tamquam Electoris Palatini proximis agnatis & consanguineis, proponenda sient, cumprimis ob diuersionem quamdam in inferiori Saxonia (*VVestphalia, Monasterio, Padeborna, Hildesheymio*) Si enim istiusmodi diuersio non fiat, tum Electorem Palatinũ NB.
& Vnitos (NB.) negotium suum contra sacrificos superius (*Moguntia, Herbipolis, Aichstadium, & Eluanga*) ad dimidiam dumtaxat partem peracturos. Dolendum autem esse, sin cum contraria parte manus conserantur (*sacrificis ad Rhenum & Moguntia*) quod tum in seruatione & solutione (*en peccunia deesse incipit*) Landgrauij Mauritij, Culmbacensis, Argentinensis (*de hisce D. Pastoir in peculiari quodam loco conqueritur, quoniam in caussa peccuniæ nihil impetrare potuit*) aliarumque ciuitatum Imperialiũ (*à quibus partim nimium postulatum, partim quædam damni sui recompensationem petierunt*) immo ipsius etiam Marchionis Badensis (*qui tamen ad inuasionem Alsaticam magis, quam alii, cæteros instigauit*) non adquiescendum NB.
fiet: verendum itaque esse, istos homines sub prætextu erogandæ suæ quotæ, istam peccuniam sibi reseruaturos, & recessum esse passuros, minime considerantes quæ nunc Norimbergæ concludantur. Sin autem Princeps Anhaltinus recessum accepturus fiet, tum be-

Nouem. A.C.MDC. XIX. ne exinde ipsum deprehensurum esse, quantum & cui potissimum fidendum siet: potioribus etiam ordinibus, vti, proh dolor, verendum, promissis suis minime stantibus, facile tum colligendum esse, qualis inter milites confusio exoritura, &, quæ denique ruina inter ordines metuenda foret, quam tamen Deus Ter Opt. Max. clementissime auertere dignetur.

Princeps Anhaltinus, iuxta suam ad Comitem Solmensem, magnum aulæ Palatinæ Magistrum, epistolam, ægre tulit, quod Vniti Norimbergæ in acceptandis rationibus & supplicationum consilio tam diu immorati fuerint; & in ipso effectu desiderat, vt quatuor principalia puncta, in Erlaci instructione comprahensa, obseruentur: ante omnia quoque sequens scopus obseruetur: Quomodo videlicet I. Electori Palatino directio & Generalatus apud Vnionem conseruari, II. continuatio militarium copiarum transigi, III. arma bene induci, & IV. cum Bohemis angustior quædam alliantia institui pos-

NB. „ set. Interim tamen nullo modo commodum tempus cum litteris com„ motoriis, & quæ plures istiusmodi sunt vanitates, negligendum vel amittendum: sed multo potius Camerarij directioni (qui sibiipsi & Vnioni in eo, dum quemlibet in particularibus suis prætensionibus audire, & cuilibet satisfacere conetur, damnum inferat) frenum inijciendum: illum (Camerarium) enim in grauissimo errore hærere, dum *cum commotoriis suis litteris multum efficere*, & quemlibet in particularibus suis angustiis audire, & non multo potius ad principalem Vnionis scopum (*supra Onoltzbachicus & Princeps Anhaltinus, sub dato Schvvabachii XIII. August. A.C.M.DC.HXX. scribunt: Omnes libellationes in Germania frustra suscipi, salutem enim patriæ solummodo in armis, eorumdemue recto vsu nunc*

NB. „ *consistere*) consilia sua dirigere velit. Ad III. punctum pertinere tracta„ tionem cum Duce Bauariæ: vbi bene perpendendum esse, quorsum „ tractatio ista dirigenda, & num cum eo (Bauaro) vel de pace, aut de „ bello, vel de neutralitate agendum siet. Quicquid autem de tribus istis punctis cum eo tractetur, principaliter tamen eo potissimum spectandum esse, vt id cum Vnionis (NB.) singulari emolumento fiat. *Interea vero, dum de hisce punctis, cumprimis autem de continuatione bellica deliberatum fuit, Norimbergæ ab Hollachio Comite, (qui tum temporis Presburgi cum Gabriele Betlehemo de Electoris Palatini negotiis varia tractauit) sub dato IV. & XIV. Nouemb. litteræ allatæ sunt, vbi, inter alia, sequentia memorat:* sese depræhendere, quod, ad præcedentem (*Comitis à Thurn, Hollachi, & consortum*) tractationem, regnum Hunga-

riæ non

riæ non tantum vt membrum, verum etiam ceu Electoratum, S. R. Imperio ſeſe adſociare velle : ſin igitur Sereniſſima ipſius Cel. in Tranſyluania (*Hollachus principem hunc Sereniſſimum* , *Cæſarem autem ſuum dumtaxat Ferdinandum* , *Ferdinandum illum nuncupat*) Hungarica Corona potiri debeat, tunc, cum ipſa hæredibus careat, poſt ipſius è mortali hacce vita egreſſum, Elector Palatinus in euentum ad ſucceſſionem declarari & acceptari poſſet. Quum itaque ſeſe (*inquit Hollachus porro*) non dumtaxat S. Rom. Imperio, tamquam dulciſſimæ ſuæ patriæ, (*cum introductione Turcici vaſalli in Electorem S. Rom. Imperii*) verum etiam ipſi Electori Palatino, quod ad ipſius augmentationem & exaltationem pertinere videatur, obligatum eſſe ſentiat, &, duorum iſtorum punctorum cauſſa, in plenaria NB. NB. tractatione occupatus ſiet, ad quam iam iam idonea media ſeſe oſtentent: iccirco intermittere nec potuiſſe nec debuiſſe, quin, per ſuam iſtam ſignificationem, illa Electori Palatino proponerentur, ille, Hollachus, vero eius rei iterum certior redderetur, &, quid vlterius ſibi factu opus foret, informaretur. *Hanc Hollachi propoſitionem magnus aulæ Palatinæ Magiſter Principi Anhaltino, ſub dato XIX. Nouembris ANNO vt ſupra, communicauit, & ab eo petiit*: vt nimirum hac de re iudicium ſuum aperire velit, & an iſta propoſitio vel intentio in effectum deduci poterit: quamuis enim aliquot difficultates ſeſe oſtentent, nihilominus tamen bonam iſtam, vti omnes quidem æſtument, voluntatem, quam Betlehemus erga iſtam (*Caluiniſticam*) partem declaret, omnibus modis conſeruandam eſſe.

Nouem. A. C. MDC. XIX.

NB.

Quoniam autem ad hæc non illico reſponſio ſubſequuta, ſed Princeps Anhaltinus à catarrho infeſtatus fuit, qui, vti poſtmodum ſeſe excuſauit, totum ipſius caput adeo lacerauerit, vt tam cito reſpondere haud potuerit: iccirco toties nunc commemoratus magnus aulæ Palatinæ Magiſter, ſub dato XXV. Nouembris, iſtius puncti cauſſa, eumdem Anhaltinum iterum admonuit, vbi ab initio mentionem facit: quam lente nimirum decretum, continuationem bellicam concernens, procedat, & quantum vlterius ad illam contribuendum ſiet: poſtea in ſpecie quarumdam legationum mentionem facit, quæ è Norimberga in Daniam, Sueciam, ad Anſeaticas ciuitates, & inferioris Saxoniæ circulum: Item, ad Electorem Saxoniæ, & Bauariæ Ducem: Item, vehementis alicuius epiſtolæ, quæ ad Cæſaream Maieſtatem ableganda fuerit, vbi tamen de ipſius titulo conueniri nō potuerit, &c. *Paullo poſt, ad Hollachicam propoſitionem reuerſus, inter alia vlterius refert*: Quam mirum in modum Betlehemus ſua Bohemico negotio

præſtita

Nouem. A.C.MDC. XIX. præstita beneficia & merita extollat, & prætendat, quod non solummodo suam personam, verum etiam proprios suos subditos & Prouincias manifestissimo periculo obiecisset; rogare itaque vt prætensioni suæ satisfiat, cumprimis, vti ex Hollachi & Comitis à Thurn litteris colligatur, quod metuant, nisi toties etiam commemoratus Betlehemus in bona sua intentione honorifice &, pro suo merito, condigne tractetur, tum subitaneam apud ipsum alterationem forsitan exoriri posse.

Interea, XX. huius Mensis die, ab Anhaltino, ad supra commemoratum Gabrielis Betlehemi punctum, consideratio sequuta est, vbi inter alia hæc commemorat: Propositionem Hollachi Comitis bene dignam esse, vt omnia in illa contenta probe ac diligenter perpendantur, cumprimis ad incorporationem quod attineret istius regni Hungarici cum S. Rom. Imperio, & quod ista Corona ad Electorem Palatinum postmodum transferri debeat. Equidem vt suum de arduo difficilique isto negotio, pergit Anhaltinus, communicet iudicium, æstumare sese, sin forsitan vnū vel alterum obtineri queat, tum illud neutiquam negligendum, sed interim bonam Gabrielis Betlehemi & Hollachi Comitis intentionem omnibus modis conseruandam esse. Ad transmutationem autem istius regni in Septemuiratum, statuere, id propterea non expediundū, quum Electorale Collegium in illud minime consensurum fiet; Euangelicos siquidem plurimorum votorum fieri compotes, in particulari autem tria vota in Electorem Palatinum recidant. Quocirca existumare sese, nisi modo commemoratum impedimentum obstet, Hollachicam istam propositionem S. Rom. Imperij ordinibus (*ex parte Caluinistica*) nō ingratam futuram esse, quemadmodum etiam sibi adhuc probe reuocet in memoriam, quod antehac ad incorporationem istius regni cum S. Rom. Imperio, vt vnum, vel alterum eo melius conseruare posset, non vna dumtaxat vice fideliter suaserit. Et hoc forsitan per maiora, vel tamen cum approbatione partis sanioris, certis conditionibus excusari, mediantibus certis intelligentiis, quæ ad particularem respectum contra Hungariam dirigi, quodque Germania protectionem regni Hungariæ in se suscipere, & consequenter, nomine S. Rom. Imperij, cum Turcorum Imperatore constans pax tractari posset: alias ad transportationem illius Coronæ (*Hungaricæ*) in personam Electoris Palatini quod attineret, sese, Anhaltinum, existumare, illam
NB. transportationem Electori Palatino alias iure competere, quum Hun-

garorum Bohemorumque prætensiones vno fundamento nitantur: Nou. prætendere, nimirum, & deducere ipsos posse (*videat heic Lector quomodo isti homines regnis atque Prouinciis ad rebellionem defectionemque suadeant, & materiam sumministrent*) sublationem suorum iurium, priuilegiorum, atque promissionum: Item, tyrannidem atq; crudelitatem contra Bohemos & Morauos exercitam, quæ similiter ipsis expectandæ essent: Item, simili modo ad Hungaros quoque spectare de traditione Hispaniæ & domus Austriacæ erga Imperatorem Ferdinandum, & fortassis magis quam aliæ prouinciæ & dominia: adeo vt quodlibet punctum, ad deducendam huius rei iustitiam, fiet sufficiens. Sin igitur nunc occasio Vniuersalis affectionis, (*rebellium Hungaricorum ordinum erga Electorem Palatinum*) & bona voluntas Gabrielis Betlehemi sub hoc concurrerent, dum toties nunc commemorato Electori Palatino coronam offerrent, omnibus modis tum Palatino suadendum esset, ne tam singularem Dei gratiam negligeret, idque non tantopere propter vtilitatem, quæ ab initio exigua satis esse possit, sed consequentiæ caussa, & quod eo ipso conseruatio verbi diuini suæque Ecclesiæ non solummodo stabiliri, verum etiam illud ipsum verbum adhuc amplius (*cum extirpatione Catholicæ iis in locis ab Apostolorum temporibus hactenus continuatæ relligionis*) dilatari propagarique queat.

A. C. M. DC.XIX.

Ad hæc Comes Solmensis adhuc eodem ipso die respondet: ab initio quidem alicuius epistolæ Guilielmi Comitis Nassouii caussa, quam Anhaltinus sibi, Solmensi, communicasset: Animaduertere se, inquit, Guilielmum Nassouium eiusdem esse intentionis cum Principe Mauritio, quod nimirum exteris auxiliis non tantopere innitendum fiet, sed maius fundamentum in Cassam domesticam collocandum, cæterum vero pro accessorio dumtaxat æstumandum esse. Se, Solmensem, iudicare hanc difficultatem iam ideo allegari ne videlicet Vnio Generalium Dominorum Stadensium succursui plus iusto fidat, & interea superius forsitan exiguam præparationem instituat. Paullo ante commemoratus Comes Guilielmus inter alia & hoc addit: Sin Vniti à Stadensibus pro negotio Bohemico auxilia poscant, necessum prius esse, vt peculiaris hac de re cum ipsis suscipiatur tractatio: Stadenses enim præsupponere, alliantiam, (*NB. istorum hominum coniunctionem, & vnam intentionem*) ab Vnione cum confœderatis vnitisque Prouinciis conclusam, cum Bohemico negotio nihil habere commercij, sed peculiare illud opus i-

S psosque

Nou. A.C.M. DC.XIX. psosque non amplius obligatos esse, quam ad L. librarum M. per singulos menses persoluenda, idquod etiam continuaturos esse (*non latius sese extendit, quam ad menstruum stipendium, quod Principi Anhaltino, tam quam Generali in Bohemia, deputatum fuit*) Ad propositionem vero Comitis Hohenloici quod attineret, Gabrielem Betlehemum interea tam Hohenloio, quam ipsi etiam Comitiá Thurn, per expressum mandasse, vt nimirum illud negotium suo nomine vrgere debeant, &, quo melius faciliusque illud exequatur, omneis suas vires ipsis promisisse. Videri autem commemoratos istos binos Comites istam negotiationem tam diu in suspenso seruaturos, donec resolutionis Electoris Palatini certiores reddantur, qui prætendat incorporationem regni Hungarici cum S. Rom. Imperij variis inextricabilibusq; difficultatibus esse implicatam, erectionem autem illius coronæ in Electoratum plane impossibilem. Putare tamen quosdam, sin forsitan illud ipsum Hungariæ regnum in nouum circulum erigeretur, quemadmodum Super inferioremque Austriam circulum Austriacum constituere, quod tum illud citius, quam altero modo, quem Betlehemus sibi præfixisset, in effectum deduci posset: antequam autem ad conclusum perueniatur, prius tum expectandum esse, quo nimirum Hungarici Ordines inclinarent, haud iam considerato quod Betlehemus resolutionem istam impatienter ferat, vrgeat, & existumet rem nimis frigide tractari, non secus quam cum confœderatione regni Bohemiæ & incorporatarum Prouinciarum.

Cum vero in eodem Vnionis conuentu Norimbergico legatio versus Monachium, vnanimi omnium consensu, decreta, & Cæsareo Legato, Domino Ian-Georgio Comiti Hohenzollerensi loquendi facultas data fuisset, quum Electorales Palatini Consiliarii, iuxta magni aulæ Palatinæ Magistri ad Principem Anhaltinum, sub dato XXIV. eiusdem, exaratas litteras metuissent propositionem Cæsaream, dum potißimum cum aliquibus ad partem ageretur, forsitan alterationem inter ordines parituram: iccirco iidem Electorales Palatini Consiliarii, vti ex alia quadam epistola, sub dato XXV. Nouembris, videre est, apud ordines omnia bene & quidem eo fulcierunt, vt legatio ista infrugifera redderetur, sub prætextu: Hispanicas artes sub eo occultari, & quod ordines per illud separari velint.

Idem quoque magnus aulæ Palatinæ Magister adhuc porro de Vnitis ordinibus conqueritur, quod tam vehementer sollicitauerint, vt Vnionis militareis copia

pia (alibi scribunt Vnioni cum Bohemico negotio nihil intercedere cōmercii) quas Elector Palatinus secum in Bohemiam adduxerat, iterum reuocarentur, nec in Bohemia, ne videretur quasi publice, & directe Vniti Bohemicæ istius intemperiei sese redderent participes, porro vsurparentur, aut, si Elector Palatinus Vnionis exercitum in Bohemia retinere, Marchioni Onoltzbachico tum daretur facultas, vt alias copias conscriberet, & vacātes apud Vnionem stationes adimpleret. Similiter quosdam existumare Electorem Palatinum VI. florenorum M. quos ab Vnione Generalatus caussa obtineat, renūciare debere, quod tamen Electori minime placere, quum aliquoties contentiones exinde sperētur: pari modo iam haberi sub manibus, quomodo tamdem sese Vniti ex labyrintho extricare queant, potissimum vero in puncto discessionis, in qua resolutionem & continuationem rei bellicæ maiori ex parte consistere: & hoc ipsum in caussa fuisse, quod Elector Palatinus, qui ad discessum quasi in procinctu steterit, biduo adhuc Norimbergę pmanserit, vt decretū siue conclusum Principalis istius puncti sua præsentia eo melius commodiusve promoueret, etiamsi maior pars ordinum sese excuset, quod, in defectu plenipotentiæ, nihil certi concludere possit.

Nouem. A. C. MDC. XIX.

" " " " NB.

Ad istas litteras Princeps Anhaltinus illo ipso die ideo, vti quidam opinantur, respondit, quoniam veritus est ipsi pari modo, ceu Electori Palatino, menstruum deputatum stipendium subtractum fore, dum inter alia ita scribit: Sese ictum istum iam dudum præsensisse, eo ipso tēpore, cum Waldsachsiæ adhuc commoratum siet (*dum solemnis acceptatio coronæ Bohemicæ tractaretur, & Elector Palatinus cum Vnionis copiis recta in Bohemiam proficisceretur*) iccirco nihil aliud sese expectasse, quam illud ipsum tempus in quo commemoratum istum ictum commode euitare posset: deterrimum omniū vero hoc esse, quod Elector Palatinus omni rerū necessariarū apparatu iam destitutus siet, quoniam Comes Hollachus, & Comes à Thurn cū omnibus suis copiis ex Bohemia (*ad Gabrielem Betlehemum in Hungariam, & ante Viennam*) discesserit, & non amplius post sese relliquerint, q̄ VI. Compagnias, sub Imperio Comitis Mansfeldij, & cccc. sub Capitaneo Frenckenitα facile sese, Solmēsem, colligere posse, quod, si modo exiguus militū numerus ex Patauiensi Episcopatu in Bohemiam hostilem incursionem faceret, in quo periculo tum Elector Palatinus versaretur: immo ꝙ etiam ipsa Praga (*Cæsareani milites tum temporis exoptata ista occasione vti frui debuissent*) non secura esse posset. Aliam insuper inconuenientiam incidere, quod Vnionis militareis co-

Nouem. A. C. MDC. XIX. piæ, ex Bohemia deducendæ, in Palatinatum superiorem immittendæ essent, quo facto nil nisi Prouinciæ desolationem, & extremam eiusdem ruinam atque perniciem metuendam, cum tamen in Bohemia melius foueri possint, ideo quod direptionibus & grassationibus (*foules*) ijs in locis facilius quam in S. Rom. Imperio locus rellinquatur: itaque reuocationem militarium copiarum è Bohemia admodum difficilem futuram, & quod nouæ copiarum conscriptiones necessario hoc tempore requirantur, ni Vniti Electorem Palatinum omnino nudatum esse velint.

Ad punctum inuasionis autem quod attinet, inquit porrò Princeps Anhaltinus, Electorem Palatinum inferre posse, sese Vnionis exercitum ad nullam inuasionem obligaturum, nisi & ipse ab aduersa parte infestetur: nullam itaque aliam resolutionem sese cernere, quam toties nunc dictus Elector Palatinus compræhendere vel concipere posset, quam vt Vnionis exercitus (NB. *Vnionis istæ militareis copiæ in Bohemiam introductæ fuerunt*) in Bohemia eo modo rellinquatur, quo in superiori Palatinatu commorari debuerit, hac tamen adnexa clausula, quoties Vniti istis copiis opus habuerint, tum absq; vlla mora istas ad loca, vbi easdem ipsa necessitas postulauerit, dimissas iri: sperare quoque Electorem Palatinum, Compagniam istam, sibi ab Vnione ad corporis sui tutelam destinatam, & cætera quę ipsi Principi Anhaltino ex promisso debeantur, Vnionem minime scrupulose in dubium tracturam: (*Principi Anhaltino menstrua X. florenorum M. tum temporis curæ cordiq; erant, quorum occasione Bohemis, mox ab initio sui Generalatus, LX. florenorum M. concesserat*) Eumdem enim, Palatinum, modo commemoratam istam corporis sui custodiam, in gratiam Vnionis, tempore necessitatis, non dumtaxat dimissurum, verum etiam eidem (*Vnioni*) non contemnendum militarium copiarum numerum (*absque omni dubio de iis, quæ à Prouinciis persolutæ erant*) in auxilium missurum esse. Sin igitur nunc Vniti eius rei caussa multum disputare, & in sua opinione pertinaciter (*Opiniastrer*) perseuerare velint, tum eo potissimum adlaborādum esse, vt ad minus concedant, quod Elector Palatinus Vnionis exexcitum tam diu in Bohemia retinere queat, donec sibi cum aliis copiis militaribus, ad sui ipsius conseruationē prospexisset: eius rei caussa Princeps Anhaltinus quamprimum certior reddi & tum resolutio certa dari oporteat, nihilo enim inconuenientia, interea subincidentia, nequaquam subleuari posse.

Interea

Interea Vniti ante responsionem harum Norimbergam allatarum littera- Nouem.
rum (.quæ cum supra commemorati Plessei epistola vno eodemque die 27. nimirum A. C. M.
die Nouembris, datæ fuerant.) punctum, quomodo nimirum Vnionis vi- DC. XIX.
res nunc bene collocentur, & sumptus non frustra impendantur, in consilium tractum, &, *vti magnus ille aulæ Palatinæ Magister in commemorata seu prædicta responsione, de dato, vigesimo septimo mensis Nouembris, porro memorat*, deliberatum fuit, quid tam ipsi Romanorum Imperatori, quam etiam Bauariæ Ducis Delegatis respondendum esset: vbi consultum fore iudicarunt, sin ex parte Vnitorum Ordinum compositio petatur, tum ne minimum quidem faciundum esse indicium, quasi Vnio forsitan aduersam partem metuat, vel sibi ipsi manus colligare patiatur vt hostis exinde suum emolumentum capiat, copias maiores cōscribat, & tum denique illud ipsum exequatur, quod iam apparet, vt nimirum protestantes potentiam suam contra Catholicos exerceant, sed responsionem (*.Ecce quibus insidiis isti homines vtantur, & quo animo & zelo in omnibus Comitiis, aliisque S. Rom. Imperii Conuentibus Compositionem desiderauerint.*) eo multo potius formandam esse, vt etiam sub media compositione, sin forsitan istiusmodi aliqua subsequutura esset, Vnitis liberum rellinquatur vt armis suis, pro ipsorum lubitu, commodo, NB.
atque emolumento semper vtantur, cumprimis si vel Romanorum Imperator, vel Dux Bauariæ dilatoriam responsionem daturi, vel cōpositionem non eo modo, qui speretur, (*.omnia pro auctoritate violenter quasi poscendi & peragendi, quemadmodum ipsorum ad Ducem Bauariæ litteræ satis superque testantur.*) confirmaturi essent. Cum itaque sub isto, punctum, quomodo videlicet, & qua ratione Vnionis vires vsurpandæ, lateat, quæ ista chorda fiet, quæ hactenus tangi non debuerit: (*.toucher à bon escient.*) iccirco Electorem Palatinum necessarium esse autumasse, vt nimirum isti deliberationi in persona propria interesset, istamq; NB.
ad exoptatum finem perducere iuuaret: Vniuersos & singulos enim Ordines, tam Vnitos, quam Correspondentes (*.pergit Solmensis.*) iam melius, quam antea numquam eo inclinare, vt videlicet, in puncto *de l'employ*, egregiam (*.supra modum eximiam.*) resolutionem (*.inuadendi Catholicos.*) concepturi sient: quum manifestissime videant atque depræhendant, vt, nisi imposterum aliter, quam hactenus (*.solummodo in defensionis terminis.*) procedatur, tum Vnionem sensim seipsam consumsumpturam, & comportatum apparatum (*. heic Dominus magnus aulæ Palatinæ Magister errat, Vnionis enim iste apparatus Electori Palatino tam diu*

Nouem. An. C. M. DC. XIX. *profuit, quam diu Vnio realiter armata fuit. siquidem non dumtaxat 6. florenorum M. per singulos menses particeps factus, verum etiam ipsius corporis tutela siue custodia ex Vnionis Cassa persoluta fuit, quemadmodum etiam Copiis militaribus, quæ limites Norimbergam versus custodire debebant, & quas toties commemoratus Elector Palatinus secum VValdsachsiam versus in Bohemiam adduxerat, non ex suo marsupio stipendia persoluere necessum habuit.)* frustra insumpturam: immo, cum magno hostis emolumento, quod peculiariter in tueatur, minimam quoque vtilitatem perdituram: Electorem Palatinum sperare & firmiter credere bonam hoc in puncto resolutionem eo potissimum subsequuturam, quemadmodum Princeps Anhaltin. (*.in Erlaci instructione supra, sub dato 12. Nou. Item, in litteris ad magnum aulæ Palatinæ Magistrum, sub dato 28. eiusdem.*) proposuerit: nimirum quod ante omnia hoc punctum exactissime examinetur, & *employ del' armeè* h. e. *quo Vnionis vires conuertendæ*, pro principali huius congregationis membro æstumetur. NB. Ducem Würtenbergicum hac in re eximia præstare officia & planare viam alteram, qui omneis hesterna luce, nullo excepto, sese beniuolentissime declarassent: NB. quemadmodum etiam Ordines, vnanimi omnium consensu, iuxta exemplum Ducis Würtenbergici, Electori Palatino, sin forsitan in supe: & inferiori Palatinatu infestari debeat, omneis suas vires obtulissent. id quod Cæsari in ea responsione, quæ Delegatis suis danda esset, per expressum significari debeat. Punctum rationum ineundarum mox quoq; absolutum iri, eius enim hesterno die bonum factum fuisse principium, & absq; omni dubio hodie, mediantib. delectis aliquot, apud quos Marchio Onoltzbachicus directorium obtineat, ad finem perductum fore, &c.

Idem ille magnus aulæ Palatinæ Magister, sub dato 28. eiusd. ad Principem Anhaltinum itidem scribit, in responsione illius, quod supra indigitatum est, sub dato 26. eiusdem, Anhaltinum videlicet vehementer sollicitum fuisse, quod forsitan Vnionis militareis Copiæ ex Bohemia iterum reuocarentur: & inter alia: Electorem Palat. cum quibusdam, qui ad hanc rem bene essent dispositi NB. NB. (*. Vnionis Ordines procul omni dubio scient, qui ex ipsis ad Bohemicam istam intemperiem tam bene dispositi fuerint, quod suaserint, Vnionis exercitum in Bohemiam mittendum, & illic aliquandiu adhuc retinendum esse.*) ad partem tractaturum & visurum, an ad minus reuocatio non citius fieri queat, donec Obentraudius cum suo equitatu in procinctu siet, atque vt Compagniæ, quā Vnio Electori Palat. ad proprii sui corporis custodiam deputasset, Vnionis istius sumptib. stipēdium imposterum indesinenter

perſoluatur: maius obtineri vix poſſe: putare n. Ord. ſe eo magnum ſa- Nouemb.
ne præſtare officium, quod defenſionem Electoralium Palatinorum An. C. M.
dominiorum in Imperio in humeros ſuos deriuaſſent, ſin forſitan, re- DCXIX.
ſpectu Bohemicæ intẽperiei, cõmemorata iſta Electoria dominia infe-
ſtari debuerint, id ꝙ Cęſareo Legato per expreſſum mandatũ eſſe: ic-
circo Electorem Palat. hac vice cum iſta reſolutione contentũ eſſe o-
porteat: ægre n. rẽ eo deductam iri, vt Vniti manifeſtò (*.excepto eo, ꝙ alias clã fieri poſſet.*) Bohemico negotio, ꝑ Palatini lubitu, ſeſe im̃iſceant, &c.

Reuocatio Vnionis militarium copiarum ex Bohemia, donec Obentraudius cum Decem.
ſuo equitatu Electori Palat. ſeſe coniunxiſſet, ab Anhaltino Principe ideo tam ſolli- A. C. M.
cite impedita eſt, quoniam vti magnus aulæ Palat. Magiſter 11. *Dec. An. C. M. DC.* DC. XIX.
19. *fatetur, de cõmemorato iſto Obentraudio nulla certa inſtructio haberi potuerit. Quo cõmodius igitur Elector Pal. & Bohemi Vnionis, in Bohemia degentib. Copiis militarib. ex Vnionis Caſſa perſoluendis vti poſſent, Anhalt. iuxta litteras ipſius de dato* 18. *Nou. hoc*, vt nimirum inter Vnionẽ, & Bohemiæ Directores an-
guſtior quædam alliantia (*.ita vt illa antea.*) concludatur, *conſilium dedit: In quod tamen Vnionis Status, cumprimis vero Ciuitates (.vti ex toties nunc commemorati magni aulæ Palat. Magiſtri litteris, ſub dato* 30. *Nou. apparet.) minime conſentire voluerunt, attamen Electorem Palat. qu. iidem eſſent, qui reuocationem Vnionis militariũ Copiarum ex Bohemia, & denunciationẽ* 6. *florenorum M. menſtrui ſubſidii, tantopere vrgerent, offendere noluerunt: iccirco Cõmiſſio Marchioni Onoltzbachico* (.qui alias ſupra, ſub dato 12. Oct. indigne tulit, quod E-
lector Palat. & Princ. Anhalt. dumtaxat propria ſua negotia in Bohe-
mia accõmodanda quærerent, haud iam cõſiderato quomodo ſibi a-
liiſq; Vnionis Ordinib. in Imperio res ſuccedant.) *& Duci VVurtenbergico delata fuit; qui* 30. *die Nou. iuxta modo cõmemoratam Solmenſis epiſtolã, Electori Palat. rẽ indicarunt:* ꝙ nimirũ prætenſioni 6. florenorum M. men-
ſtrui ſubſidii, ipſi ab Vnione deputati renunciare, ante oĩa vero Vnio-
nis militareis copias ex Bohemia retro mittere, vel ad minus cõcedere
debeat, vt iſte copiarũ numerꝰ alibi ex Vnionis Caſſa adimpleri queat,
ꝙ Ordin. omnino ad corporis ſui cuſtodiã deſtinatas Cõpagnias, intel
lectũ velint: Se, Solmensẽ, nunc eo cogitare, qualis Electori Palat. hac
de re cõcipienda reſolutio: ipſi nimirũ ſuadendũ, vt 6. florenorũ M. eo
magis renũciet, quo facilꝰ ꝑmittatꝰ, vt videlicet Vnionis copiæ tãdiu in
Bohemia retineantꝰ, donec Obentraud. ſeſe cũ Electore Palat. cõiun-
xiſſet: aliã vero hac in re difficultatẽ ſeſe oſtẽdere, ꝙ nimirũ, ſi 6. flore-
norũ M. ꝑ toties nũc cõmemorato Elect. Pal. dimittantur, tunc idem
cum

Decemb. An.C.M. DC.XIX. cum aliis summis Officialibus(*id potissimum Principem Anhaltinum, tamquam summorum Officialium Vnionis præcipuum adeo vehementer tetigit.*) susceptum, ipsisque Vnionis stipendia non prius persoluta iri, nisi realiter pro Vnione in Castris commoraturi sient &c. *Anhaltinum autem, Bohemiæ Generalem in Germania parum profuturum. Cætera, quæ in iisdem litteris allegantur, Comitem HohenZollerensem tangunt, à quo Anhaltinus scire desiderat, num forsitan ad partem commißionem aliquam ad quosdam Correspondentes Ordines habeat, cuius caussa Solmensis mentionem facit:* Sese hactenus nihil percipere potuisse quod commemoratus iste Comes apud vnum vel alterum Ordinem peculiariter auditus fuerit &c. *in fine Solmensis*
" *Norimbergenses laudat,* quomodo nimirum illi, sub durante Correspon-
" dentium Conuentu, in suis resolutionibus sese tam cordate (*.courageu-*
" *sement.*) exhibuerint, adeo vt plura ab ipsis peti non debuerint, exce-
" pto quod assidue, veluti & alii quam plures, Bohemicam intemperi-
" em ab Imperii negotiis separari voluerint.

Toties nuncdicto Principi Anhaltino quoque supra commemoratus transitus, Vnionis militarium Copiarum caussa, admodum curæ cordique est: iccirco supra illud suo loco dictum Erlaco datum memoriale, & exaratas ablegatasque litteras, aliam peculiarem adhuc instructionem, memorialis alterius loco, propriis suis manibus, sub dato 29. Nouembris, subsignatam, illi ipsi Erlaco tradidit, adnexis aliquot motiuis Electori Palatino proponendis, ne, Vnionis Ordinum consensu tamen, eiusdem Vnionis Copiæ ex Bohemia reuocentur, vel saltim ad minus tam diu inibi, sub Anhaltino nouo Generalatu retineantur, donec Obentraudius compleuisset: se enim, *pergit Anhaltinus*, sibi in animum induxisse cum istis Copiis, quamprimum modo vires iterum recollegissent, (*.quoniam paullo ante Bragadizam & Piseccam vna cum aliis occupauerant.*) aurei pontis impressionem tentare: attamen Monssieur Erlacus huius transitus caussa neminem ex Vnitis certiorem faciat, sed prius admoneat (*. quod IV. instructionis punctum, & eo fine heic refertur, vt Ciuitates videant, quæ videlicet puncta cum illis communicata, & quæ vicißim coram iis occultata fuerint.*) summum nunc tempus esse, ne videlicet Vnitorum equitatus & peditatus, tam in Bohemia, quam in Superiori Palatinatu, cum solutione amplius detineantur.

In V. puncto autem Anhaltinus Electori Palatino suadet V. florenorum M. pro equis ad trahenda tormenta, reique tormentorum & curruum præfectis destinatorum, caussa, quę melius iam applicari non possent, quam vt cum illa pecunia commemoratis equis, rei tormentariæ cur-

ruum-

ruumque præfectis ex superiori Palatinatu satisfiat, nam (*.Nota Vnionis Copias.*) neque Bragadizam neque Piseccam (*.inquit Anhaltinus.*) sine isto medio occupare potuissent. Decemb. An.C.M. DCXIX.

In peculiari autem folio idem ille Anhaltinus manu sua propria adnectit: (.ne Vnio, vti autumant, alium quemdam magnum Officialem, loco Anhaltini, suscipiat.) impediendum esse ne Mauritio, Hassiæ Landgrauio vllæ militarium copiarum conscriptiones concedantur, (*. vel forsitan.*) quoniam (*.vti Camerarius, sub dato 11. Iulii A.C.M. DC. 19. scripsit.*) cum illo Domino nihil omnino tractari posset.

Ad hæc Anhaltina consilia, & per Electorem Palat. nunc Bohemiæ Regem, (.qui sua auctoritate aliquid amplius obtinere conabatur.) facta postulata, insperata aliqua resolutio subsequuta est, quemadmodum magni aulæ Palatinæ Magistri, Comitis Solmensis litteræ, sub dato 11. Dec. An. C.M.DC.19. testantur, in quib. inter alia scribit: Vehementer admodum Vnitos apud Electorē Palat. institisse, vt Vnionis militareis copiæ quamprimum ex Bohemia reuocarentur: tamd. attamen, quamuis non absq; magno labore, tantum sane fuisse impetratum, quod toties nunc dictę Vnionis militareis copiæ in Bohemia tamdiu retinerentur, donec Obentraudius cū suo equitatu, de quo tamen ne minimum quidem hactenus allatum esset, (*.de qui on' à nulles nouelles du tout.*) aduenisset: ad corporis custodiam a. quod attineret, vnanimi omniū consensu cōclusum esse, vt, si Elector Palat. illā nō amplius retinere velit, tū istius loco alias Compagnias esse conscribendas, & tunc Elect. Palat. loco primi stipendii progressorii, q̄ illi equites ab initio conscriptionis accipere solēt, armaturam ipsis præbere teneatur. Verum Elector Palat. neq; in hoc, neq; in altero sese explicasset, sed resolutionē suam Pragam versus reiecisset: ibi n. melius sese iudicare posse, q̄ diu istis duab. equitū turmis indigeat, quam resolutionē ciuitates (*.de quarum corio ludebatur, quæq; quorsum res inclinarent, animaduertebant.*) minime in meliorem partem fuisse interpretatas: ad alteram peditum corporis custodiam quod attineret, Electorē Palat. contentum esse vt alia Compagnia peditum conscribatur, & illa, quæ iam ante Pragæ conscripta esset eiusd. Electoris Palat. (*.vel multo potius Bohemiæ Ordinū incorporatarumq; Prouinciarū.*) sumptib. cōtinuaretur &c.

Etiamsi vero toties dictus Elector Palat. cum iam commemorata resolutione contentus Pragam versus sese conferre voluerit, & magnum aulæ suæ Magistrum præmiserit, nihilominus tamen Ciuitates (.cum quib. Marchio Onoltzbachicus ex particulari quodam respectu, hoc in puncto libenter conuenit.) isti resolutioni sese

Decem. A. C. M. DC.XIX. *oppoſuerunt, & eumd. magnum aulæ Palatinæ Magiſtrum, in Ciſia etiam ſedentē, & profectionem ſuam maturantem, mediante Marchione Onoltzbachico, iterum poſtularunt, eidemue (. quemadmodum 3. Dec. A. C. M. DC. 19. ad Principem Anhaltinum ſcripſerat.) ſignificarunt:* Ciuitates, ſequētium punctorum cauſſa, admodum male contentas eſſe. 1. quod Elector Palat. 18. florenorum M. Generalatus ſui, & trium elapſorum menſium cauſſa, retinere velit. 2. quod in puncto reuocationis duarum Compagniarum corporis ſui cuſtodiæ, ſub imperio Spaldorffii & Streiffeni, reſolutionem ſuam Pragam verſus diſtulerit: Seſe, Ciuitates, animaduertere, quod reſolutio ſatis diu differatur, quodq; Ciuitates Bohemico negotio eo magis magiſq; cottidie immiſceātur, quod Ciuitatum Superiores minime adprobaturos eſſe. 3. Quod animaduertant eo inclinari vt Vnitæ Ciuitates, præſertim vero minores, præſidiarios milites admittere debeant. 4. Quod ſummis Officialib. bellicis, vtpote ſupremo præfecto vigilum, aliiſq; ſtipendia alio modo perſoluere non poſſent, niſi ꝑ Vnione bellarent & in caſtris ipſius ſeſe cōtinerent: prætendentes, niſi ipſis in 4. iſtis modo commemoratis punctis ſatisfiat, Superiores ſuos tum aliam reſolutionem concepturos, & quemlibet, quomodo etiam poſſet, ſeſe ſaluaturum eſſe, & hanc propoſitionem per Vlmēſes, loco & nomine aliarum Ciuitatum, hoc mane in conſilio apud Principem VVirtenbergicum factam, ipſum magnum aulæ Palatinæ Magiſtrum vero profectum eſſe, & neſcire qualis, adhæc, reſolutio facta fuerit: Rē tamen eo inclinare, niſi negotio iſti diligenter inuigiletur, varios tum adfectus & multo deteriores effectus exinde exoriri poſſe: attamen Marchionem Onoltzbachicum & Ducem VVirtenbergicum rei iſti ſeſe interpoſuiſſe, Anhaltinum vero ab ipſo Electore Palat. (*. ille n. poſtridie Norimbergâ Ambergam verſus ſeſe conferre ſibi propoſuerat.*) maioribus percepturum, qualem illa interpoſitio effectum ſortita fuerit.

Quæ a. magnus ille aulæ Palatinæ Magiſter Principi Anhaltino in Gallica, illa ipſa Marchio Onoltzbachicus Electori Palat. in lingua Germanica ſequentib. verbis ſcripſit: Hac in ipſa hora (. inquit Onoltzbachicus.) Dux VVirtenbergicus me certiorem facit quod Ciuitates (*. quæ ſeſe ſeductas animaduertebāt.*) ad extremum male contentæ ſient, & per Vlmenſes apud ipſius (*. VVirtenbergici.*) Cancellarium indicatum fuerit: equidem ſeſe offenſionem non promerituros, nec multa etiam dicturos, ſed heſterna die Concluſum (*. ſupra ſub dato 27. Oct. Marchio Onoltzbach Vnionis receſſus pro ludibrio æſtumat.*) non ex ipſorum voto proceſſiſſe, quocirca æſtumare ſeſe, Dominos ſiue Superiores ſuos, & ſingulas Ciuitates ad

aliter

aliter sese resoluendum coactas fuisse, videre nunc(*.incipiunt sapere, sed sero: nec fuisset sero, modo sapuissent in sequentib.*) quod dumtaxat de suo ludatur corio, & saltim Bohemico negotio inuigiletur. Cum .a. (*.inquit Onoltzbachicus.*) ad speciē procedere conarer, tum inter alia refert mihi D. Faber(*.Cancellarius VVirtenbergicus, & qui in aula ista, etiam contra aliorum Cōsiliariorum voluntatem, hoc negotium artificiose direxit.*) ipsas, Ciuitates, sese amplius resoluere noluisse, stipendiorum tamen mentionē fecisse, q̄ Regia sua Ma. (*.Elector Palat.*) iam ante accepisset: Item, quod videant (*. Ciuitates.*) quo vela directa sient, quum duarum Compagniarū caussa iam nulla subsequatur resolutio: parē opinionem esse cū cæteris quoq; summis officiis, & q̄ Ciuitatib. p̄sidia imponi velint &c. Decemb. A. C. M. DC. XIX.

Quamuis vero Ciuitates grauamina ista lubentißime sublata vidissent: nihilominus tamen Anhalt. & Elector Palat. à præfixo scopo minime recesserunt: id quod ex eiusd. Anhaltini ad Comitem Hohenloium, sub dato 5. Dec. A. C. M. DC. 19. exaratis litteris videre est. Ex quib. apparet, Anhaltinum ægre eo commoueri potuisse vt grauamina ista tollerentur, dum reuocationem Vnionis copiarum militariū in euentum ponit, vbi videlicet Vnio istis ad singularem quamdam intentionem opus habuerit, inter alia inquiens: Mansfeldium Comitem à Styrumb ad se ablegasse, & instanter sollicitasse an videlicet ipsius equitatus suo esse & incremento (*. qui equitatus tum temporis circa Viennam in Austria apud Gabrielem Betlehemum cōmorabatur.*) restitui, & sursum in regnum Bohemię reuocari posset: ast eod. ipso tempore Palat. Electorem versus Ambergam venisse, cui rogationem istam officiose communicasse: ad ista vero Elector Palat. sibi(*. Anhaltino.*) sub silentio indicauerit, & clementissime mandauerit vt idem, eod. tamen fideli sub silentio, Comiti Hollacho significet: quod nimirum facile fieri posset, vt Vniti, ad singularē intentionem (*. Catholicos inuadendi, Episcopatus occupandi, præoccupationem impetrandi, & viam facti bene collocandi.*) suas in Bohemia habentes militareis copias reuocare, & aliis in locis (*. eo videlicet de quo Pleßiacæ 27. datæ litteræ loquuntur, & quo cætera quoque consilia directa fuerunt.*) vsurpare (*.employre.*) possent. NB. *Attamen vt deniq; Elector Palat. ante discessum suum, generalem vicarium vel legatum(. Marchionem OnoltZbachicum.) & Ciuitates in bona sua deuotione conseruaret, eo tamdem sese resoluere necessum habuit:* Sese in Bohemiam deductas Compagnias, tam equites, quam pedites, ad corporis sui custodiam destinatas(*. quemadmodum ex Vnionis Norimbergico peculiari recessu, in §. pari modo &c. expresse videre est.*) quidem retenturū, cæteras vero intra menstrui temporis spacium, vel, vrgēte necessitate, citius

Decemb. A.C. MDC. XIX. tius in Germaniam dimissurum, vlteriori mentione addita Marchionem Onoltzbachicum, Generalem Legatum, loco dimissarum istarum Compagniarum (*de isto corio potissimum tum temporis ludebatur, alias enim Ciuitates parum sane obtinuissent.*) alias conscripturum, & promissum numerum completurum, Electorem Palatinum vero, iis equitum peditumque Compagniis, quas retenturus esset, restituturum esse: Interim ille ordo, qui easdem conscribere debeat, easd. lustrandi bonam potestatem habeat. Postquam etiam Elector Palatinus, Generalatus sui caussa, erga Vnitos sese eo resoluisset, quod illud decisioni illius permitteret, quomodo nimirum cum facta acceptione seruari debeat: iccirco illud ipsum ad eumdem Electorem Palatinum iterum remissum ab Vnitis est, minime dubitantes ipsum Cassæ tenuitatem probe consideraturum esse.

Interea tamen præcipuum grauamen, præsidiorum Ciuitatibus imponendorum caussa, & punctum summorum Officialium stipendia concernens, de quo Solmensis inter alia mentionem facit, indecisum relictum est, excepto quod OnoltZbachicus promiserit: sese de duabus Würtenbergicis peditum Compagniis, quæ in inferiori Oelchingo Vlmensium subditis molestæ fuerant, (nisi Kembda & Memminga contra omnium spem & expectationem non vnam ex illis recepturæ essent.) vnam in suam Prouinciam accepturum, relliquum signum vero Dux Würtenbergicus sibi reseruare vellet, &c.

Res itaque (tam horum, quam aliorum grauaminum sumptuumque in immensum crescentium caussa, siquidem summi Vnionis Ordines, vtpote Palatinus, Brandeburgicus, ambo Electores, Mauritius Hassiæ Landgrauius, Onoltzbachicus, Culmbacum partim nihil omnino erogauerant, partim vero Cassæ multum debuerant, Ciuitates vero sese seductas, & quod maiora ipsis ferenda essent onera, animaduerterant.) hoc in Vnionis Conuentu satis in arcto constiterunt: nihilominus tamen Vnio tam artificiosam meras minas spirantem epistolam ad Bauariæ Ducem ablegare minime erubuit: ex quo sane ipsa Meridiana luce clarius apparet, homines istos mox blandis suauiloquelis, mox cum violentia & impetu, imbecillitate sua minime perpensa, res suas promouere, & vrgere studuisse. De angusto autem isto Vnionis statu toties commemoratus magnus aulæ Palatinæ Magister ad Principem Anhaltinum ex Hartmanshofio 4. Decemb. Anno Christi M. DC. 19. talia inter alia refert: Achatio, Baroni à Dona, litteras ad Ducem Boullionæum tradendas fuisse: Item consultius fuisse, si ipse Princeps Anhaltinus Norimbergam versus sese contulisset, quum, durantib. adhuc

istis

istis Vnionis Comitiis diuersimodæ difficultates exortæ fuissent, quæ ad finem alias nunc properantibus Comitiis facile dissolutionem excitare potuissent: in quibus etiam vlterior fit mentio de XXX. thalerorum, ac totidem florenorum M. à Knyphusio Hamburgi, V. per cento, comparatis. Item, matrem Regis Daniæ CC. thalerorum M. concessuram, ast absque sponsione Vrbium Imperialium, vtpote Argentinæ, Norimbergæ vel Vlmæ (*Ecce, vos Imperiales ciuitates, qua de re agatur.*) istam peccuniam non erogaturam esse. Decemb. A.C.MDC. XIX.

Equidem corresspondentes indicentesque Imperiales ciuitates integro anno ante hasce litteras, quo videlicet Directores vela sua extenderint, facile intelligere potuissent: quoniam autem interea ab iis, qui ad rem istam bene dispositi fuerunt, forte decepti esse potuerint: itaque toties nunc commemorati magni aulæ Palatinæ Magistri, de dato IIXX. Decemb. A.C.MDC. XIX. ad Principem Anhaltinum exaratæ litteræ nihilominus, & ea potissimum de caussa heic referuntur, vt imposterum sciant, qui apud ipsas per tectam mediorum suggillationem peccuniam tam artificiose exprimere potuerint. D. Camerarium, (*inquit Solmensis*) eiusque expeditionem Vlmensem indies expectari: verendum tamen esse, ipsum non meliorem resolutionem allaturum, quam D. Pastoir ab Argentinensibus reportasset, quæ in ipso effectu denegatoria esset responsio, licet res ista ad vlteriorem cum Norimberga communicationem dilata fiet. Eumdem quoque (*Camerarium*) fuisse sane admonitum, vt illud medium, quod (NB.) D. Oelhafius suggillasset, proponeret, verendum tamen, istas litteras primum post Camerarij ab Vlma discessum allatas fuisse: quem in euentum sese mandare vt litteris idem ten-" NB. tare non grauetur: qua arte etiam ipsos Argentinenses flectendos esse, &c.

Pari comminatione, & bona cum erga Bauariæ Ducem adfectione, Anhaltinus ad Plessæium Monachium versus, postquam ille vna cum Frederico Comite Solmensi, Andrea Imbosio, & Doctore Oelhafio, armatam seu comminantem legationem inibi deposuisset. Imperatorem ab Austriacis ordinibus ipsorum considerationes postulasse, quomodo nimirum pacificatio iniri posset: qui rotunde atque categorice respondissent Cæsaream suam M. duo ista regna (*Bohemiæ & Hungariæ*) postponere, relligionis libertatē absolute concedere, externum militem & auxilia dimittere, &c. promissis suis & recapitulationi satisfacere debere: quidam addiderunt: optumum factu fore vt sese omnino (*à S. Rom. Imperio*) abdicaret, cuius hæc sunt verba formalia: *Quelques vns ont adiouste que le meilleur seroit, des*

Decemb. A.C.MDC. XIX. *abdiquer totalement, &c.* Sin igitur nunc Bauariæ Dux, rebus ita constitutis, neutralis permanere velit, id ipsi liberum rellinqui: sin minus: tum primum ipsum fore, qui distinctis in locis inuadi posset: *Il sepeus asseurez (verba concepti formalia) qu' il sera le premier, qui pourrat estre attaque par diuerses endroicts, &c. absq; omni dubio quum non dumtaxat Dux, sed multo potius cæteri quoque Catholici apud Vnitos in concepto fuerint, quod videlicet timidi semper bellum & discordiam fugerint, citiusque partem Archiepiscopatuum, & Episcopatuum, populorum, & Prouinciarum postposuerint, modo vt residuo pacifice & tranquille vti frui potuerint: quem tamen postea (sub prætextu nouæ relligionis pacis, vel quod alias in Romano Imperio exortæ diffidentiæ tolli, & econtra pax atque concordia plantari potuerint) cum istiusmodi comminationibus ad se pertrahere conati sunt: quemadmodum istorum hominum deductus processus in duobus istis vltimis Comitiis (*vbi Onoltzbachicus legatus ius pugni & subrufos oculos publice minatus est*) hactenus ipso facto satis superque testatur, quemadmodum etiam ipse OnoltZbachicus supra scribit*: Catholicos ex mera formidine, nec ex desiderio vel propria voluntate Cæsari auxiliaturos esse.

Et hæc, quæ Anhaltinæ, Solmenses, Plesseiacæ, aliæque litteræ & relationes ad litteram demonstrant, vna cum multis aliis rebus Norimbergæ in Vnionis conuentu, tractata, conclusa, &, quantum quidem fieri potuit, in effectum deducta fuerunt: quemadmodum illa omnia in arcana Anhaltina Cancellaria sub titulo: Vnionis acta, quæ, durantibus adhuc Correspondentiæ & Vnionis Comitiis Norimbergæ, allata, tractata, & in effectum deducta, &c. *in originalibus & conceptis reperiuntur, &c.*

Vbi cumprimis iuxta Vnionis recessum, de dato XXX. Nouemb. A.C.MDC. XIX. quemadmodum etiam ex Electoris Palatini ad inferioris Saxoniæ correspondentes Principes, sub Dato Norimbergæ XXVI. Nouemb. A.C. MDC. XIX. exaratis litteris, Catholicorum ordinũ conscriptiones primum ab A.C. MDC XIX. deriuantur: *Cum tamen vice versa (vti supra deductum, & documenta demonstrant)* Marchio Onoltzbachicus iam ante M. Iulio A. C. MDC. IIXX. II. militum M. tamquam expectantes conscripserit, & eo ipso tempore de grandi quadam, XV. militum M. constante, armatura tractatum fuerit: immo Mansfeldicæ militareis copiæ ipso facto in Bohemiam missæ fuerunt: regnis atq; Prouinciis inhiatum est: Vnionis nauicula M. Augusto A.C. MDC. IIXX. (modo media ad grandem istam armaturam obtineri potuissent) in altum ducere, Herbipolensem inuasionem *(Rendevous)* inchoare, in modo commemorato A. C. MDC. IIXX. egregiam resolutionem concipere, mundum sursum deorsumque

que ferre, Oceanum cum Adriatico mari coniungere, & inter alia Occidentalem Franciam eo inclinare voluit, ne inibi concedatur vt Ferdinandus, si res ad electionem Romanorum Regis deueniat, ad Electorale Collegium admitteretur: Viuente etiamnum Romanorum Imperatore Matthia de mysterio missæ: Item, quomodo Alsatia, Brisacum, &c. occupanda, immo ciuitas N. inuadenda, & eo ipso bonus apparatus peccuniarius, ad belli continuationem comparari possit, ipso facto tractatum est. Notorium quoque est quid postmodum, durante etiamnum electione Mœnofrancofurtensi, & eodem ferme momento Pragæ actitatum, & quæ antehac peculiaribus in locis, tam intra quam extra S. Rom. Imperij limites, intelligentiæ, correspondentiæ, Allianiæ & fœdera conclusæ fuerunt, quibus mediantibus Papicolæ notis istis in locis maiori cedere necessum habeant, &c. quemadmodum etiam cum Electoris Palatini, & Vnionis copiis militaribus, Pilsa, Bragadiza, Pissecca, Strackonicium, Winterberga, Wodiana, & Pechinum ipso facto occupata, Patauium & Ratispona insidiis tentata, D. Solmenses equites, sub ipsa tractatione electionis Mœnofrancofurtensis, ab Vnionis militibus in ipso etiam Catholico territorio in fugam versi, & ab Mauritio Hassiæ Landgrauio propositum fuerit, cũ iisdem Vnionis copiis militaribus Ferdinando obuiam progrediundum, Francofurtum vndiq; obsidendum, & Cæsaream electionem omnibus modis impediendam esse. *Hisce omnibus autem minime consideratis, in paullo ante commemorato recessu, apud punctum III. adhuc amplius videre est, dum posuerunt:* an nõ considerandum quomodo postmodum Vnio, sumptuum profusorum caussa, (*cum tamen Catholici, iuxta ipsius Onoltzbachici confessionem propriam, dumtaxat ex mera formidine, non ex desiderio & propria voluntate arma arripuerint*) sese iterum recreare posset. *Alias quoq; in tunc temporis Norimbergæ ad Ducem Bauariæ decreta legatione inter se inuicem commutatis scriptis manifestissime deprehenditur, quemadmodum etiam ex Catholicorum ordinum ex Herbipoli V. Martii A. C. MDC. XX. data responsione, quæ omnia publicis typis diuolgata fuerunt, vt etiam in diuersis Germanicis, Latinis, Gallicis relationibus Historicis & Mercuriis Gallo-belgicis, &c. quam iniuriose ipsis Catholicis ordinibus fuerit impositum*, quasi cum defensionis suæ præparatione bellica in S. Rom. Imperio intempestiuum initium ad bellum fecerint, & eo ipso correspondentibus Vnitis ad similem armaturam ansam occasionemque præbuerint.

Decemb. A. C. MDC. XIX.

Quæ plura alias specialia in hoc Norimbergico conuentu tractata, conclusa, & quot multifaria additamenta correspondentiæ & Vnionis recessuum

Decemb. A.C.MDC. XIX. cessuum instituta: Item, qualia scripta, & tractationes cum Stadensibus, Imperialibus Anseaticisque ciuitatibus, in rebus Argentinensem Episcopatum concernentibus, & in caussis Saxonum Vinariensium, Pupillorum Marchionum Badensium, Augusti Comitis Palatini, & Ian-Frederici contra Dom. ipsorum fratrem Wolfgangum Guilielmum Comitem Palatinum, ciuitatis Ratisponensis occupandæ, &c. *Non minus quales* deliberationes, instructiones, & scripta, ad inferioris Saxoniæ circulum in Cæsareæ legationis: *& VVetterauiæ Comitum* relligionis negotio, inter se inuicem commutata fuerint: *porro quomodo* Vnio (vltra impēsas bellicas aliosq; sumptus) rationes *susceperint*: in quātum restantia modo cōmemoratorum sumptuum bellicorum excreuerint: quantus Vnionis militarium copiarum numerus: vbi iste commoratus fuerit: Quomodo cum rei tormentariæ muneribus comparatum fuerit: & quam caute & astute Vnio, cumprimis eiusdē capita, clandestinas suas artes apud Rempub. Venetianam, Occidentalem Franciam, Sabaudiam, Angliam, &c. negotia sua, ad impetranda auxilia & subsidia, proposuerint: pari modo qua ratione Electorem Saxoniæ Vnionis negotio lubentissime implicatum viderint, & quam fidelissime Serenifs. ipsius Celsitudo Electorem Palatinum, Vnitos, & Bohemos à proposito suo dehortata fuerit, nil omnino autē profecerit, & Æthiopem dealbarit. *Quæ autem illis in locis plura tractata fuerint, ea vt heic denuo repetantur, minime necessarium esse autumamus, quum ista omnia suo tempore cum plenaria editione Originalium commodius fieri poterint.*

Nihilominus tamen beniuolus Lector simul Vnionis Directorum singularē curam, molestiam, laborem atq; prouidentiam ex eo colligat, quod non dumtaxat præparationem suam bellicam ad intentionem suam optuma forma complere studuerint, verum etiam quum viderint Cæsaream S. Maiestatem tam in Italia, quā Occidentali Francia per delegatos suos opem atq; auxilium sollicitare: & probe itidem perpenderint, in rebus bellicis explorationem, quid his vel illis locis agatur, & quomodo contra rebus suis consultandum prospiciendumue siet, plurimum prodesse: iccirco necessarium esse autumarunt, vt vndiq; atq; adeo etiam Constantinopoli certos correspondentes conquirerent, quem in finem etiam Anhaltinus in peculiari quodam memoriali, ad Erlacum directo, apud III. punctum mandat: Vt nimirum cum Bubinghusio, præcipuo quodam Ducis Würtenbergici ministro, fido tamen sub silentio, ageret, an non media inueniri possint, vt forsitan cursor Veredarius ab Augusta Vindelicorum versus Bruxellas (*hac enim via litteræ ex Hispania & Occidentali Francia per VVürtembergense territorium adferuntur*) extra Prouinciam intercipi possit: Item apud *IV. pun-*

IV. punctum iubet, vt Camerarius cum Frederico à Berg (*Vnionis rei peccuniariæ siue Cassæ præfecto Norimbergense*) non dumtaxat Roma & Venetiis singulis septimanis vulgaria noua procuret: *sed tam studiose Baroni à Dona iniunctum fuit*, quod ad partem cum commemorato isto Frederico à Berg tractare necessum habuerit, quomodo videlicet, & qua ratione explorationes & correspondentiæ in Italia apud fide dignas minimeque rimosas personas instituendæ essent. *Quamuis vero Christianus Princeps Anhaltinus, mox ab initio Bohemicæ rebellionis, A. C. M.DC.IIXX. & postmodum sæpius per summæ tenuiorisq; sortis atq; conditionis homines, legatos, atque ministros (quorum* Neuw *siue Namarus non extremus fuit) certo sibi persuasit mirabilibus, fucatis insidiosisque propositionibus & motiuis caussis Sereniss. Reipubl. glaucoma obiicere, palpum obtrudere, eamdemq; erogatione ingentis peccuniæ, in Vnionis nassam pertrahere summopere laborauerit, nihilominus tamen Senatus, ex nota prouidentia & prudentia, ab istiusmodi hominum commercio abstinuit. Etiamsi autem toties dictus Princeps Anhaltinus, Bergkius, & alii plures contra angularē istiusmodi lapidem non amplius impingere debuissent: attamen irrequieti impudentesq; isti socii minime verentur, quin, si ipsis in vno bene prospereq; non succedat, alia media excogitent atq; exequantur, quemadmodū etiam paullo ante dictus Bergkius, dum sui nominis famam apud Vnionem aucupare, & intentionem suam obtinere autumat, prudentissimum Senatum in nassam suam pertrahere conatus est: quocirca M. Decemb. A. C. MDC.XIX. ad Anhaltinum Principem sequentia perscripsit*: Sese humillimo cum obsequio percepisse, quod Inlustriss. sua Cel. sibi per Baronem à Dona clementissime iniunxerit: eum in finem sese adhuc hodie calamum in Italiam temperasse, bona spe fretum, rem illinc prospere feliciterq; successuram. Ast hodierno tempore cū Venetianis ita comparatum esse, quod affectionati non semper, quantopere etiā velint, operari possent, & ea propter ipsis per ministros publicos materia ad manus porrigi oporteat, quo tutius meliusve nostro (*Caluiniano*) fauori sese adaptare, cumprimis vero partem pontificiam, cum *ragion del ben publico*, cōuincere, & ita Reipublicæ bonam operam nauare possent: alias enim quasdam inconuenientias, præsertim in religionis negotio, aliquando, ob varias suspiciones, ipsos nolentes volentes etiam tolerare necessum habere: Sese quidem nihil intermisisse, & suapte institisse, atque summum nunc tempus esse, monuisse, vt videlicet Senatus tamdem sese resolueret, & ipso in effectu saltim aliquid præstaret: maiorem enim ipsum vtilitatem fructumq; exinde reportaturum quam ex Sabaudia: materiam in Germania enim ita esse

Decemb. A.C.MDC.XIX.

NB. NB.

Decemb. A.C.MDC. XIX. dispositam, vt, si Venetiani rem modice dumtaxat subleuauerint, vtrimque bona spes concipi posset, pertæsam Monarchiam quieti sese daturam, aliasque nationes minime offensuram turbaturamve esse. Etiamsi quoque alij Principes, tamquam regni Bohemiæ amici, hactenus sese promptos paratosque exhibuerint, illisque, Bohemis, omnem suam operam consiliumque detulerint; omnia tamen ea perquam esse necessaria, ob tam arduum difficillimumque negotium, potentissimos excitatos hostes, & exhaustum ab ijs, qui regnum antea possedissent, ærarium. Quocirca facile posse colligi, neruum istum, apud tam subitaneam mutationem, non adeo formidabilem esse constitutum, vt bono aliquo succursu ipsis non reddatur animus. Quum itaque peregrinæ nationis dominatio Italiæ hactenus plurimum obstiterit, eo melius, per tam eximiam occasionem, peregrinum istud iugum iam (Italiam) excutere posse, dum Hispaniarum Regis Prouinciæ, missis ex ijs locis copiis militaribus in Germaniam, admodum nudatæ forent, econtra vero, ne istæ in Germania præualere queant, Bohemorum militia istis tanto formidabilior futura, atque tamdem, auxiliante diuina gratia, superior euasura esset, modo Hispanica factio non prȩualeret, sed debilis atque confusa redderetur: qui successus etiam Hispanorum hactenus in Italia obtentam fidem non parum sane debilitare, & tum Respublica etiam illos (*Hispanos*) non solummodo à finibus suis arcere, verum etiam forsitan omnino vltra Pyræneos mõtes repellere posset; indubia spe freta, ipsos, quibus in angustiis suis opem auxiliumque præstitisset, obtenta, per Dei Ter Opt. Max. gratiã, feliciter victoria, iterum gratissimos sese erga Rempub. exhibituros, ipsisque, vrgente necessitate, militareis copias tramissuras esse, quemadmodum (NB.) in vltimo bello eius rei gratia modicum saltim specimen edidissent: & similibus istiusmodi circumstantiis, &c. Sese Bergkium sperare, sin & aliis in locis aliæ quoque negotiationes sese ostenderint, tum rem non absque singulari fructu prospere successuram: Item, obsignata iam epistola, sese, Bergkium, CC. equitum M. qui nũc Mediolani adhuc commorentur, in postscripti cuiusdam Schedula mentionem fecisse (*NB. quomodo isti homines, ad seducẽdos alios, ipsimet caussas fingant*) eamdemque litteris inclusisse, indubia spe fretum, & illud quoque aliquid operaturum esse: In cæteris sese rei serio ac diligenter inuigilaturum, modo tempestiue satis de omnibus circumstantiis instrueretur, &c. *id quod Fredericus Bergkius satis fideliter præstitit, & non*

vna.

vna dumtaxat vice propria sua fictitia noua hinc inde communicauit. Decemb. A. C. M. DC.XIX.

CONTINVATIO CANCELLARIÆ ANHALDINAE.

INTEREA, *dum literæ istæ Berckii Principi Anhaldino 4. Ianuarii, Ann. 1620. essent redditæ, querelas agitabat Gothardus à Starnberg, literis 9. Ianuarii Lintio scriptis, quarum hæc erat summa:* Austriam superiorem indies magis magisque hostibus circumdari, quod cognatum suum, Erasmum à Starnberg, ad R. Bohemiæ M. nuper legatum, procul dubio significasse putet; præterea Ipsensem ciuitatem (à se paulo prius vi occupatam) à Cæsariano milite rursus interceptam, atque adeo hostem quotidie propiorem Austriæ supra Ensam sitæ fieri; conuenticula & comitia illis esse præclusa; nullum restare transitum, quo vis Cæsariani militis vel impediatur vel retardetur; paucos quidem milites se in confinibus Wallseanis præsidiarios reliquisse, quibus commune vulgus coerceat, ne terror Panicus omnes fortassis transuersos rapiat: sed hostem (Comitem Bucquoium) mediis sufficientibus satis esse instructum, transitu isto neglecto per alias vias regionem inuadendi; solicitare quidem ordines supra Ensam strenue in Bohemorum atque Austriæ inferioris castris subsidiarium militem, vt transitus Ipsensis possit conseruari: promissa ipsis esse data, sed an euentus illis sit responsurus, incertum esse: vereri se, ne post Festum veniant: Quod si hostis istam regionem sub potestatem suam redigeret, de Bohemia & tota Germania actum iri. Cis Passauium commorari exercitum Italicum, non minus octo millibus armatorum militum constantem; se pro peculiari ac plane diuino miraculo ducere, quod regionem hanc hostiliter inuadere nondum audeant, &c.

Quibus innuere voluit, quam exoptatam eo tempore, priusquam milites ab Vnione missi in Bohemiam appulissent, occasionem Bucquoius neglexerit, rem vniuersam ad finem expetitum perducendi. Apparet simul etiam ex iisdem, quam desperato plane modo audaces rebelles isti fuerint, præsertim cum viderent, adeo humaniter & amice cum ipsis agi, vt Tschernembelius ipse 24. Nouembris, ann. 1619. ad Principem Anhaldinum sequenti modo exarare non sit veritus; Consultum sese existimare, vt Passauium, etiamsi Imperij membrum sit, occupetur

occupetur, tum quod hostilitatem atq; inimicitiam suam aduersus Bohemos atq; Austriæ superioris incolas satis superque testatam fecerit, tum etiam quod ob situs commoditatem multum vtilitatis sit allaturum; alias nunquam tranquillitate ac quiete sese esse potituros; quod si Bauariæ Dux negotio fortassis immiscere se vellet, nudam ac plane apertam ipsius relinqui ditionem, Hungarisque facile accessibilem & patulam.

Erat tum temporis & aliud sub incude consilium, quod Dux Bauariæ Legationi Vnitorum non satis ad ipsorum lubitum respondisset. Atqui verebantur, ne dissensiunculæ istæ, quarum Comes Solmensis supra mentionem fecit in literis 3. & 4. Decemb. ann. 1619. datis, latius serperent, aut ciuitates fortassis ansam arriperent, resolutionem suam, turbas Bohemicas concernentem, immutandi. Executio igitur istius consilii ab Anspacensi vsque ad vlteriorem Generalissimi resolutionem dilata, & Comes Erlacensis Pragam festinanter ablegatus fuit, missis simul literis sub dato 1. Ianuar. ann. 1620. in quibus Anspacensis omnis generis noua, ex Italia & Mediolano allata, corrasit, inter alia scribens: Memoriale se tradidisse Erlacensi, cui fidem velit haberi: Vnionis hostes indies confortari, ac magis magisque appropinquare: in Italia passim milites colligi, ita vt exercitus penuria nulla sit hostibus pertimescenda: sperare itaque, Regem (Generalissimum) acquieturum, vt resolutiones in effectum deducantur, quarum instructionem Erlacensi (NB.) commiserit, quanquam sciat, expostulationes & querelas ciuitatum non defuturas: Combien (scribit) que ie scay bien, que ne me manqueront des reproches des viles, &c.

Fridericus à Berck, Vnionis nummularius, de quo paulo prius diximus, sub eodem dato Pragam ad Principem Anhaltinum literas, quæ 6. Ianuar. ann. 1620. ibi redditæ sunt, sequentis tenoris dedit: mittere se auisationes ex Italia, in quibus punctus, militem pedestrem concernens, obliuioni minime sit dandus: dubitare quidem se de illo, certum tamen esse, factionem Pontificiam non quiescere, sed dies noctesque consilia cudere. Ab amico, bene sibi noto, literas sese nullas accepisse, proxime tamen eas esse accepturum. Ex adiuncta copia colligere ipsum posse, quanto labore adnitatur (Berckius) bonum semen (fructuũ Caluinianorũ) passim dispergendi. Quis a. sit iste 516. (clandestinus scilicet ille explorator, qui nomen suum, ipsi etiam Vnioni, ignotũ esse cupit) cõmodiori sese occasioni indicandũ reseruare: cumprimis a. consultũ ducere, vt Heluetij, ꝑtim Tigurini, cũ satis se in Vnionẽ ꝓpensos exhibeãt, rebus

bus im̄iſceantur tum propter tranſitus, qui apud ipſos ſunt multi, tū ob ꝓpinquiorem cum Senatu (.cui pſuaderi hactenus non potuerit.) coniunctionē:ſuppetias ipſis etiam eſſe ferendas, vt loca quædam, Catholicorū iuriſdictioni ſubiecta, occupent(.attendite Catholici coniurati.)atq; adeo Hiſpano militi tranſitum præcludant:eſſe quidem ſumtus aliquos impendendos, vtilitatem tamen inde redundaturam longe maximam, iuxta illud: Che fuſſe à buttar il lucio per pigliar il peſa, &c.

Copia literis iſtis adiuncta in ſe continebat omnis generis ſpecialia, quæ in excellentißimo aliquot Confœderationum Collegio agitata atque diſputata fuerant. Roma ſcribebatur, omnes ibi mirari generoſitatem Comitis Palatini, nec iam temeritatem, vti Pontifex prius proclamauerat, ſed prouidentiam ſingularem dici, cui omnes in Europa Principes proteſtantes aſtipulentur, propoſitumque ſibi habeant, aliis ea facere, quæ ab illis ſibi fuiſſent expectanda.

Venetiis eodem menſe litteræ à clandeſtino Correſponſore, ibi degente, miſſæ, in quibus narrabatur, quantopere modis omnibus adlaboraret, Signoriam ſiue Magiſtratum Venetum eo adducere, vt Electoris Palatini atque Vnionis literis reſpondeat, legatoſque, qui Palatino ob nouam electionem congratulentur, mittat, ac parum pecuniæ, ad vrgendum magis ſtrenue opus, communicet. Hactenus impeditum ſe fuiſſe, ſed nihil intentatum relinquere, atque acrius replicando inſtare.

Quemadmodum vero Anhaltinus colluſionem Correſpondentium in Italia, ſic Iegerndorffenſis in Polonia eandem procurauit. Exemplo ſint litteræ, ſub dato 4. Ianuar. an. 1620. ad Anhaltinum miſſæ, quibus continebatur ſecretum quoddam Conſilium Nicolai VVolsky, Marſchalli Polonici, per Senatorem quendam Principatus Oplenſis, nomine Melchiorem Kolenbahr, propoſitum, eius intentionis; Etſi quidem exercitus ſit in Polonia congregatus, ſtipendia tamen ipſius vltra Maium non eſſe duratura; ac etiamſi quid fortaſſis tentetur, proſpecturum tamen ſe (VVolsky) vna cum VVaywoda Cracouienſi, atque exercitus Duce, aliiſq; cohærentibus, ne Regi pecuniarum copia fieri poſſit, aduerſus Sileſios præſertim eroganda. Impoſſibile etiam eſſe regi, pecuniam ad obligationem fidei ſuæ regiæ procurare, nullamque alias in promtu eſſe: porro Marſchallum Marchioni Iegerndorffenſi ſecretiſſima fidelitate promiſiſſe, quod, ſi à rege Hiſpaniæ, Pontifice, atque aliis Cæſaris aſſiſtentibus tantæ ſuppetiæ ferrentur, vt periculum aliquod regionibus Confœderatis creare poſſent, eas defen-

defendere, ac priuilegia ipſarum literaſque, quas vocant, Maieſtatis ſarta tectaque conſeruare vellent, modo in ſuas poſtmodum partes tranſirent.

Quæ illo tempore Pinoſii ac Viennæ in puncto induciarum acciderint, in propatulo ſunt. Illud autem cumprimis eſt notandum, quod, quamprimum Gabor ſuperior Poſonii fuerit factus, Cathedrale ſtatim templum ad D. Martinum prophanauerit, exercitium Catholicum abrogauerit, nouos Prædicantes introduxerit; Legatuſq; ipſius Conſtantinopoli tum temporis degens, Stephanus Corlathi Sultano literas tradiderit, in quibus Ordines Vngariæ, Bohemiæ, Morauiæ, Sileſiæ atque Auſtriæ illi munitiſſima propugnacula atq; arces, Villecum, Nouigradum, Sacinum, Palancum, Iarmuthum atque alia obtulerint.

Quid amplius Gabor penes Ottomannicam portam ſollicitauerit procurauerítq; propriæ ſuæ ipſius manu ad Turcicum Imperatorem exaratæ literæ ſatis ſuperq; demonſtrant, quarum ſumma, vt paucis me expediam, hæc eſt: Aggreſſum ſe eſſe tandem opus, ad quod toties ab Imperatore Turcico fuerit inſtigatus, ac pleroſque Hungariæ proceres ſibi conglutinaſſe, aliquos quidem adhuc paucos deeſſe, ſed & iſtos ad vota ſua eſſe perducturũ: manifeſtum igitur iam cuiq; fieri, quã accurate hacten⁹ ſemper mandatis ipſius morem geſſerit, idẽ ſe in poſterum etiã eſſe facturum, omniaq; ad nutũ Sultani, ac fidẽ ipſi per Legatum præſtitã, acturum: quæ Ordines Hungarici (Emericus Turſo, Setſchy Georg. Ragozy.) ſcripſerint, procul dubio menti Imperatoris Turcici adhuc infixa eſſe: cõnitendum igitur ipſi eſſe, vt raſa Pontificiorum & Sacrificulorũ cohors è medio tollatur, (*Vide ſupra, quæ de Gaboris & vnitorum propoſito de Papatu extirpando adduximus.*) quicquid hactenus fecerit, auxiliante Deo & fortunante ſucceſſu aggreſſum eſſe: rogare igitur illum, veluti patronũ ſuum, ne Germanorum tractationi (nam S. C. Ma. iam in Porta Ottomannica rebellium ſuorum machinationib. ſeſe oppoſuerat.) fidem vllam habeat: noſſe ſe illorum oblationes & promiſſa, quæ tamen effecta dare nullo modo poſſent: demum vitæ ac necis ſuæ arbitrium Sultano ſeſe committere, &c.

In Imperio porro pari ratione nullus non lapis fuit motus quoad omnia ſumma diligentia explorarentur. Nihil à Catholicis, nihil in aula Cæſarea actum, cuius tres principales Vnionis directores exactam notitiam non habuerint. Omnis belli apparatus tam S. C. Mai. quam Ducis Bauariæ, quantus eſſet, qui duces, quæ ordinantiæ, quæ itinera aut viæ, omnia ipſis erant perſpecta atq; cognita. Quapropter cum animaduertiſſent, Bauaricum apparatum intentioni ipſorum quam maxime

eſſe

esse aduersaturum, variæ ab ipsis & arduæ initæ sunt deliberationes, periculum imminens à ceruicibus suis auertendi.

Literæ Iohannis, Comitis Nassouiæ, Senioris, de dato 7. Ianuar. an. 1620. ad Anspacensem tales missæ: Cum vespere hoc domo huc (. Heidelbergam.) aduenissem, mandatum D. Locumtenēs reliquerat, vt sequerer ipsum Wislocham, quo Marchionem etiam Badensem destinasset. Eo loci cum appulissem, deliberatum fuit, vbi quam commodissime Bauaricus exercitus transitu prohiberi, si non plane fundi ac dissipari, possit. Cumque ego per illos fines, vbi exercitus commoraretur, transissem, monebat ea, quæ scirem, in medium vt proferrem. Istud cum fecissem, ambo mihi Principes mandarunt, vt & V. C. (. Anspacensem.) eorum certiorem per litteras redderem, &c.

Recensitis deinde specialitatib. exercitum Bauaricum concernentib. id consilii Nassouius dat: Si vires suppetant, adminiculo Belgarum Hollandorū extremas militum copias, ab Anspacensi vero & Badensi primas esse profligandas; istud n. priusquam vires coniungerent hostes, apprime esse necessarium. Anspacensis igitur discretioni iudicandum se relinquere, an vnitarum in Belgio prouinciarum exercitum ad promouendum castra hortari velit, & qua via ipsis ꝓficiscendum sit, vt cum eis exercitus turmis, q̄ ex parte Vnionis colligētur, coniungi possint: necessarium itē se existimare, vt peditatus equitatui Hollandico adiungatꝛ: circa Limpurgū arbitrari se cōmodissimam hostes adoriendi occasionē dari &c. Lādgrauium Mauritium (. *sic n. in literis illis sequitur.*) ꝑ necessariū esse statuere, vt ob dictas rationes exercitus Bauaricus ꝓfligetur. Quod si fiat, vti ratione status fieri necesse sit, coniici facile posse, inferiori Palatinatui pericula nō esse defutura. Cū vero inibi nō nisi 300. Obentraudii milites cōmorentur, necessitatē ipsam postulare, vt cum hoste manus cōferantur, atq; inferior Palatinatus à periculis immunis conseruetur: suo sese loco omnia quam diligentissime exploraturum, donec expectatæ aduentarent suppetiæ.

Literas hasce Marchio Anspacensis sub dato 8. Ian. Rotenburgo ad Principem Anhalt. transmisit, simulq; monuit, summā requirere necessitatem, vt præter succursum, qui expectetur, Vnionis exercitus augeatur: alias negotiū infeliciter esse successurum, (. il faut necessaire que nous nous renforcons outre les secours qu' auons à attendre, ou les affaires iront mal.) Fratrem suum Culmbacensem cōmeatum hosti denegasse; hoc ꝓcipuum sibi esse solatiū: sed Deo auxiliante acturū sese, quod possit:

Eadem

Eadem die reddita Marchioni sunt literæ, ab Anhaltino scriptæ, quibus aduentus sui certiorem ipsum facit, ad quas respondit Anspacensis; Gaudere se de aduentu ipsius; absq; illo enim si esset, Palatinatum superiorem multis & magnis periculis obnoxium futurum. Paulo post rationes instituit militum, qui ex vnitis Hollandiæ Prouinciis ad ferendas suppetias mittuntur. Equites ait esse mille & septingentos, pedites ter mille, sexcentos & septuaginta; hoc igitur suum esse consilium, vt Marchio Badensis cumprimis commendatum sibi habeat Electoralem Palatinatum, & transitum Francofurtensem, vt equites Obentraudiani sine mora lustrentur, tormenta & munitiones in ordinem redigantur, exercitus prouincialis ad eiusmodi loca, quæ Electori Moguntino p̄iudicium aliquod singulare parere possint, mittatur: quod si tergum obuertat hostis Palatinatui, aliusque ascendat, tunc Badensem Neapolim cum equitatu se conferre debere: quod si Bambergam tendant aut Forchemium, Anspacensem castra versus Erlangen & Baiersdorf metari oportere. An autem viribus modo nominatus Anspacensis hosti par sit futurus, iudicandum se Anhaltino relinquere: Herbipolensem certe exercitum esse intermedium, nomine quidem Bauaricum, sed mox, vbi velit, futurum Cæsareum (*Nonne ex his luce meridiana clarius apparet, principales Vnionis Directores contra Cæsarem principaliter colludere?*) Quod si Bauariæ Dux exercitui huic obuiam procedere, transitumque liberum ac patentem præstare ipsi constitueret, vereri se, ne quatuor VVirtenbergensium equitum turmæ frustra illos detinere conentur (*notandum hic, quod Anhaltinus propria manu ad marginem scripsit*, à lui facile faire à larme, *ad eundem sensum, quo supra ad Plessenium.*)

Eodem die Pleichardus ab Helmstat Rotenburgo ad Anhaltinum scribit; Omnes ac singulos de prospero ipsius aduentu lætari, sperantes, Bauariæ Ducem super præsentia & regimine ipsius alias initurum esse rationes, aut certe ancipitem mentis futurum: Marchionem Durlacensem hoc ipso die, 8. nimirum Ianuarii Neapolim versus processisse. *Deinde conqueritur*, Ciuitates Imperiales Vnioni adhærentes iis in locis, vbi exercitus commoratur, lucro in pecuniis persoluendis adeo auide inhiare, *rogatque, vt debita huic malo remedia Anhaltinus adhibeat.*

Postea, cum Anhaltinus, iam Generalis Bohemici exercitus Dux, munus sibi oblatum strenue subiisset, eandemque ob caussam Prinnam sese contulisset, reliquis autem Vnitis negotium aliquanto grauius ac periculosius esse videretur, Dux VVirtember-

tembergensis literas sequentis tenoris ad ipsum misit, sub dato 12. Ian. ann. 1620: Gaudemus de aduentu T. C. ex Bohemia, tum eam ob causam, vt T. C. turbulentis hisce temporibus in superiori Palatinatu omnia ac singula debito ac decenti ordine constituat; tum vt in puncto principali defensionis Vnitorum, durante præsertim ac continuante contrariæ partis tam forti atque firma coniunctione, salutaribus suis consiliis negotio succurrere vna cum aliis possit. Dominus Marchio Brandeburgensis, Generalis, exigente ita rei necessitate, conuentum Heydelbergæ indixit, quem, postpositis propriis nostris negotiis, ad testandam beneuolentiam atq; affectionem nostram frequentabimus, non dubitantes, T. C. vt hactenus de toto negotio bene meruit, ita & in posterum semper esse continuaturam, atq; vna cum Marchione Heydelbergam, vt & ipsa maxime arduis deliberationibus interesse possit, profecturam, &c.

Postquam verò Vnio exercitum suum, quem hactenus in Bohemia, in Palatini atque ordinum Bohemiæ commodum, aluerat, Palatino obtulerat, monitorias literas sequentis tenoris Pleichardus ab Helmstat Rotemburgo mittebat; Necessarium sese existimare, vt in dimissione atque oblatione quinque agminum pedestrium (*. quæ ab Vnione fieri debebat.*) aliquis ablegetur, qui dimissioni atque oblationi isti intersit, & milites statim nouo iuramento sibi ádstrictos reddat: Anhaltinum itaq; R. M. (*. Palatinum.*) submonere debere, quomodo sit procedendum, qua item ratione exercitus Bauaricus retardari possit. Inter alia & istud suggerere, eiectionem imaginum ex templo arcis & Iesuitarum aliquibus ex Vnione ordinib. sanequam displicere: nec se intermittere posse, quin Anhaldino prolixius de hac re scribat: vrgeri se ad id fide atque affectione, quam erga R. M. (.Palatinum.) gerat.

Decimo sexto Ianuarii die Berckius Principi Anhaltino Venetorum ad Palatini atque Vnionis literas responsionem, adiuncta prolixa quadam relatione ex Roma, mittebat, in qua inter alia narrabatur; Perplexos ibi ac meticulosos esse plerosque ferme ac singulos ob protestantium Vnitorum in Germania felices successus: Pontificem nihil aut parum rem hanc curare: quin & denuo dissensiones N. N. cum Pontifice intercedere; optare plurimos, vt castigatio quædam acris à Deo super luxuriosos ac omnibus vitiis inquinatos Sacrificulos immittatur: Cardinales sæpius Pontificem monuisse, vt stato della chiesa, incursionibus quippe populorum Aquilonarium omnino patentem, fortificaret, veruntamen

frustra in eo laborari: quin & Bellarmino Cardinali in faciem dixisse, opes ac facultates suas nimis esse exiles ac tenues; malum contra in Germania adeo graue ac periculosum, vt, etiamsi velit, occurrere tamen ipsi non possit: Galliæ regem parum Cæsari gratificaturum, quin potius ea, qua Electores & Principes Catholici, vsurum esse excusatione: incuriam atque auaritiam Pontificis huius, Cæsari maximo detrimento esse futuram.

Non multo post tempore idem Berckius literas Venetiis de dato decimo septimo Ianuarii à clanculario quodam Correspondente per numeros scriptas misit, in quibus multa de Confœderatione inter Venetorum & Hollandorum respublicas inita, ac de statu regni Galliæ commemorat, atque inter alia Regem in responsione sua Palatino data, titulo ipsum regio dignari noluisse, eam ob caussam, quod nec Angliæ rex, etiam si socer ipsius esset, eodem illum titulo insigniret. Venetiis literas Palatini, quibus Coronam regni Bohemiæ à se acceptatam nunciet, ex Germanica in Italicam linguam versas esse atque impressas, easdemque nudiustertius publice venumdari cœpisse.

Die Ianuarii vigesimo primo Anhaltinus ex Haga Comitis inter alia certior redditur, quod aliquot Consiliarii Anglici Regem suum à ferendis genero suo, Electori Palat. suppetiis auertere, è contra vero Palatino, vt regno Bohemiæ cederet persuadere ausi fuissent, ob superiorem Cæsaris Cæsarique adhærentium potentiam.

Vndecimo Ianuarii die, anno 1620. hinc inde exploratoribus emissis, 16. tandem Februarii nuncium affertur de Electore Saxoniæ, quod, neglectis dehortationibus Iohannis Casimiri, & Iohannis Ernesti, Fratrum & Ducum Saxoniæ, lineæ Coburgensis, in proposito suo, rem bellicam in effectum deducendi, & Sac. Cæsar. Maiest. omnibus modis auxilium ferendi, perseueret; quodque Schonbergius expressis verbis dixerit, quandoquidem Sac. Cæs. Maiest. vt Cæsar eligeretur ac coronaretur, vna cum aliis effecerit, omnem etiam sese lapidem esse moturum, quoad reputationem & autoritatem illius sartam tectamque conseruaret; Electorem Saxonicum cum Bauariæ Duce eodem esse animo ac proposito, & tali quidem; Cum videant, belli tumultus indies magis magisque inualescere, necesse esse, vt prouideant, ne Imperium omnino pessundetur, subditi innocentes spolientur, bonaq; eorum miseris modis vastentur ac diripiantur, sed gliscentes potius vehementioris belli flammæ mature extinguantur, ac nobile pacis aureæ donum patriæ restauretur. Saxoni persuasum esse, intentionem

Ordinum

Ordinum Bohemicorum & Regis ipsorum eo collimare, vt non solum Catholici, sed & Lutherani opprimantur: documentum istius rei præbere quod Reformati hoc tempore superiores sint in regno Bohemiæ, tum etiam processum, quē in templo arcis susceperint, eūdemq; aliis etiā in locis cōtinuare constituerint. Vereri a. sese, ne eund. exitum imaturi isti zelotypi sortiantur, quē Pontificii practici, è fenestris & regno expulsi. R. M. (.Palatinū.) in tanto iam apud cōmunem plebeculā versari odio, vt, nisi mature malo ꝓspiciatur, breui totalis seditio metuenda sit. Districtus Leitmericensē & Sactensem, paratos esse, exercitum Saxonicum prompto obsequio accipiēdi: multos è Bohemis, in domū Austriam bene adhuc affectos operā ad id suā strenue collaturos regimen Caluinianorū multo esse intolerabilius, q̃ Catholicorū; deteriorata per id oīa, nihil melioratum: suppetias præterea ex Hispania, Italia, Polonia, multisq; aliis prouinciis aduentare lōge maximas, qb. resistere impossibile videatur: plerosq; imperii Rom. status à Cæsaris partib. stare, quin aliquos etiā ex Vnitis: Elect. Brandenburgicum turbis hisce Bohemicis haud quaquā se immixturum, ne Electoratus, aut Ducatus Prussiæ iacturam faciat: Bohemos bello iam defatigatos pecunia destitui: Exercit⁹ Duces & Capitaneos ob defectum stipendiorū mereri amplius nolle: milites plurimos periisse, reliquos, vt & Bohemos, seditionem moliri, nec plures posse colligi aut conscribi. Ex quibus omnib. liqueat, S. C. M. facilime intentionem suam esse assecuturam, Regnumque Bohemiæ vna cum incorporatis Confœderatisque prouinciis recuperaturam. Multa etiam sese alia habere, quæ narrata fuerint, verum ea sese literis tuto committere non posse.

Decimo quarto Februarii die, eiusd. anni literæ Venetiū missæ sunt sequentes: Regis Galliç legatos à Veneto Magistratu postulasse, vt vna cum Rege suo turbis Bohemicis sese interponerent: oēs a. fere existimare, medium hoc esse ab Hispano suggestum, ad finem Diabolicum (.suggerito da Spagnioli cōqualche diabolico fine.) Venetos in responsione prouide & caute esse processuros, ne periculum aliquod incurrant. R. Maj. (.Palatini.) literas, Magistratui Veneto natiuitatem regii filii nunciantes, diligenter fuisse redditas, responsionemque breui esse secuturam; multum hæc atq; similia emolumenti atq; vtilitatis cōferre ad extrudendā causandamq; propensionem ac beneuolentiā: multo a. cō sultius atq; vtili⁹ fore, si vnus aut alter (.Palat. aut Gabor.) proprios suos ministros Venetiis aleret: scire se atque aliquos alios perlibenter cupere, an

Hungaria inferior, Venetis contermina, in Cæsaris vel Gaboris sit potestate: tum Gaborem etiam monendum esse, vt progressuum ac successuum suorum data quaq; occasione Venetos certiores faciat, amicitiamque ac beneuolentiam suam ipsis offerat: hoc enim facto exordio paulatim ad vlteriora posse procedi, secondo che por eranno gli affari del mondo, hoc est, prout res mundanæ ferent.

Die Februar. 19. Gothardus à Starnberg Principi Anhaltino scribit, sese in Austriam superiorem supra Ensam proficisci nondum potuisse: hostē irruptionem fecisse: transitum, quem vocant, aureum omnino esse diruendum, vt præscindatur ipsi iter in Bohemiam: locorum istorum gnarum facile animaduertere posse, quā hæc vtilis futura sit Impressa: metuendum quidem esse, ne, qui supra Ensam degunt, hostilius tractentur: sed cum regno admodum necessaria sit istius regionis conseruatio, sperare illos ratione Confœderationis atque expectare vicinas debitasque suppetias: alias defensiue tantummodo, non offensiue vti bellum gerant, coarctari, cunctationibusq; istis consumi: serio tandem (prophetia.) aliquando in re tam seria agendum esse.

In tractatione Posoniensi & Brinnensi, ad quas Vngnadius in litteris suis è Lintio vicesimo quinto Februar. missis collimat, deteguntur machinæ ac doli, quibus hi Confœderati, Ordines Styriæ, Carinthiæ & Crainæ pari ratione ad rebellionem seducere conati sunt. Sic enim Vngnadius scribit; Ordines Euangelicos in Styria, Carinthia & Craina esse quidem propensos ad postulandum liberum Religionis exercitium, verum, vti rumor eat, à proposito suo facile metu ac timore posse deterreri, &c.

Eadem de re tractauit etiam quidam ab Eckenberg Brinnæ cum Comite Turrensi, quem postmodum Principi Anhaltino Comes de meliori nota commendauit, hisce verbis: Baro hic ab Eckenberg vnus est ex numero illorum, quos gloriosam vitam degere dignissimos puto. Natione est Styrius, genere & stirpe admodum nobili, regionis & gentis illius amor & delitiæ generis humani. Hunc etiam talem esse, qui omnis generis informationes Anhaltino communicare possit: fructuosius nihil posse fieri, quam si Styria cum amicitia & humanitate occupetur: ad id requiri certum peditatus numerum, à Confœderatis prouinciis proportionaliter colligendum, eiq; Eckenbergium hunc principaliter esse præficiendum, qui rem hanc Deo auxiliāte inchoaturus ac feliciter sit effecturus. Quod si factū consultum putet ipsius Celsitudo, atque Eckenbergium istum accersitum ad se velit, in Turrensis Comitis ca-

ſtris ipſum commorari ſciat. *Super exteriori literarum iſtarum parte hæ quatuor ipſius Anhaldini manu ſcriptæ erant concluſiones.* 1. Styrios per litteras ad confœderationem eſſe ſolicitandos. 2. Milites, quanti, quando, vbi, quomodo? 3. Boſnakircham verſus. 4. Concionatores ſimul introducendos.

In dicta Poſonienſi tractatione de eodem negotio deliberatum fuit. quibus nimirum rationibus ditiones illæ ad confœderationem eſſent deducendæ, aut, ſi euentus votis non reſpondeat, quomodo à Gabore per irruptiones ac vaſtationes ad colludendum cogi poſſent. Deputatus itaque ad iſtud negotium Budianus, vt ex parte Gaboris cum ordinibus Stiriæ tractaret. Is poſtmodum ſequenti tenore ſcribit: Aliquos ex ordinibus Stiriæ, tranſitus Gabori liberos exhibere ac conſeruare velle, decreuiſſe; clancularios correſpondentes poſtmodum, data commoda occaſione, reliquis ſeſe adiuncturos, &c. *Aliæ inſuper etiam literæ à Comite Turrenſi de dato Brinnæ 23. 13. Februar. miſſæ, quibus mentionem facit literarum, à Comite Hollacenſi ad Baſſam Budenſem ſcriptarum (ſibi autem nondum redditarum: præiudicium igitur ſibi non mediocre parere, ſi Baſſa literas iſtas reſponſorias non acciperet. Iudica Lector, an non hoc cum Turca atq; eius miniſtris & vaſallis ſit colludere?*

Decimoſeptimo Martii Iohannes Georgius Publicius, præcipuus belli Commiſſarius Principem Anhaldinum plurimarum ex Praga particularitatum certiorem reddit, vnde manifeſtum euadit, Palatinum eiuſque complices, poſt habito Decreto Norimbergenſi poſt finitum menſem ab illis deſignatum nihilominus facultatibus Vnionis vſum, atque aliquam exercitus partem Vnionis adhuc ſumtibus alitam fuiſſe. Inter alia etiam ſcribit, equitum quinque turmas, à Comite Reinhardo conſcriptas, 20. 10. Martij Ensdorffij luſtratum iri, equites eſſe plane delectos: ſeptimum menſem eo die finiri, atque ita Vnionem (NB.) ſeptem ſtipendia menſtrua exercitui Anhaldino perſoluere: cohortes Saxonicas breui tempore in Bohemiam aduentaturas, vti à Duce Saxoniæ Wilhelmo perceperit: res præterea in regno Bohemiæ iam ita eſſe comparatas, vti proceres regni antehac etiam more ſuo veteri facere ſoliti fuerint: illos heri Regiam Maieſtatem (Palatinum) de danda mutuo pecunia, qua iam plane deſtituantur, compellaſſe: mirari ſe (Publicium) atque extimeſcere, quoties incuriam atq; ſocordiam hominum iſtorum in tantis ipſorum periculis atque diſcriminibus ad animum ſibi reuocet: plura ſe habere, Celſitud. illius ſignificanda, quæ calamo committere non auſit.

Cum iam Anhaldinus non ſolum regni Bohemiæ ac confœderatarum Prouinciæ-

uinciarum, sed etiam ordinum supra & infra Ensam, Generalis esset constitutus, Austriacis inferioribus, contra Cæs. Maiest. insurgentibus ac rebellionem armata manu molientibus, consilia suggessit, qua ratione omnia dextre ac feliciter peragi possent: quin & supremum excubiarum magistrum cum præsidiario milite Rezæ immisit, sub prætextu insignium vtilitatum, quas ordines inde essent percepturi, vti Resolutio ipsius de dato Egenburgi vigesimosecundo Martii testatur.

Ordines autem Austriaci, præiudicium exinde secuturum animaduertentes, milites Anhaldinos præsidiarios suis adiungi recusarunt. Alia igitur Anhaldini declaratio subsecuta est; perpensis nimirum ac trutinatis hinc inde circumstantiis, commodissimum sese existimare, vt ordines Austriaci soli præsidium Rezæ in se suscipiant, ea tamen lege ac conditione, ne, si tractatio forsitan pacis cum aduersa parte institueretur, absque Anhaldini consensu ciuitatem præsidio priuent, multo minus absque Reg. Maiest. (Palatini) & confœderatorum suffragio, loco illo cedant; sed potius, postulante ita necessitate, Bohemicum præsidium recipere sint parati. (NB.)

Paulo post cum Comitia 28. Martii Pragæ essent indicta, Princeps etiam Anhaldinus, Bohemorum quippe & confœderatorum Generalis, eo se contulit. Ibi diu de grauissimis negotiis fuit deliberatum, atque inter alia: qua ratione confœderatio Hungarica ab omnibus Prouinciis perfecte confirmari, confœderationes simul augeri atque dilatari, cumprimis vero in Vnitas confœderati Belgij prouincias extendi, legatio præterea ad Portam Ottomannicam spectabilis & qualificata adornari, negotium defensionale recte ac firmiter stabiliri, aduersus refractarios Reg. Maiest. regem ipsum agnoscere recusantes, executiue procedi, inuentiones, & media colligendi pecunias & census, vestibus, potui, & similibus imponendos, excogitari, maxime autem omnium res bellica ita confortari queat, vt tolerari fortiter in futurum possit.

Durantibus hisce Comitiis natus nupero Decembri infans, Baptismo adhibitis singularibus solemnitatibus oblatus, atq; inter alios Gabor etiam, vti Susceptorem ageret, requisitus fuit. Nomen infanti, Ruperto, datum, splendidaq; conuiuia, saltationes atq; epulæ instituta.

Eadem die Princeps Anhaldinus, iunior propria sua manu nunciat, literas sibi esse redditas à Christophoro Barone à Dona, quibus significet, suppetias ex Anglia certo esse secuturas, quin & Venetos Palatino assistere decreuisse:

uiſſe: Ducem N. paulatim ad arma progredi: Papam ad aliud auxilium, quam decem millium florenorum, ſingulis menſibus ſoluendorum, ferendum moueri nullo modo velle: Hiſpanum non poſſe: hunc ob debitorum atque æris alieni grauitatem; illum ob intenſiſſimum auaritiæ ſtudium; Romæ exercitum Palatini atque Anhaldini expectari: nunquam precioſiorem ibi inuentum fuiſſe theſaurum, q̃ hoc ipſo tempore, centum auri millionibus æſtimatum: Exercitui aduentanti magnam Italiæ partem acceſſuram, partim metu, partim odio in Pontificem, ductam: Tempus Deo eſſe notum (Dieu trouuer à ſon temps, &c.)

Vidua ſenior Electoralis Loyſa Iuliana 30. Mart. veteris, aut 9. April. noui ſtyli Anhaldino ſcribit: Sollicitos eſſe omnes, ac ſcire percupere, quo exercitus, ex Belgio & Lotharingia veniens, tendat: Marchionem Badenſem intentionem habere optimam: Deum ſeſe precari, vt felicem ipſi largiatur ſucceſſum: exiſtimare autem, Comitia Pragæ indicta abſque ipſius (Anhaldini) pręſentia finiri aut concludi non poſſe: tum etiam credere, filium ſuum, Regem, magno in ipſum deſiderio ferri: denuo Deum ſe rogare, vt in filio ſuo gratiam fortitudinemque augere, & quę ad maius honoris ſui incrementum facere poſſint, concedere benigne velit.

Triduo poſt Anſpacenſis Anhaldinum certiorem facit Reſolutionis, Herbipoli ad Legationem Vnionis, Norimberga Monachium miſſam, data: quam ait neque Categoricam neque dilatoriam eſſe, ſed acrem & ponderabilem: rem igitur & tempus iam poſtulare, vt aliquis tandem ipſis demonſtretur effectus (tellement qu' il me ſemble, que maintenant, il faudra moſtrer quelque effaict.)

Vigeſimoſexto Aprilis, ann. 1620. *ſupra dictus Poblicius ſcribit*; Philippum, Comitem Mansfeldenſem, nobilem quendam ad Principem Anhaldinum miſiſſe, ac ſeruitia ſua Reg. Maieſt. (Palatino) obtuliſſe. Quod ſi pluribus Reg. Mai. militibus opus haberet, oblationem hanc Comitis Mansfeldenſis haud male caſuram; in tanta præſertim illorũ penuria; tũ contra Saxonem etiam Reg. Mai. illo vti poſſe, ad excitandum contra iſtum bellũ inteſtinum: Comitem illũ magnæ apud nobilitatem in illa regione eſſe auctoritatis: ſed hęc talia eſſe, quorũ Reges & Principes curam ſuſcipiant: properare Comitẽ Turrenſem: hoſtem n. tormenta afferri curaſſe, quibus Comitem adoriri decreuerit: Turrenſem moleſte admodũ ferre, q̃ non alia ꝓceſſum eſſet via: cõſultum NB.

itaque

itaque ducere, vt in Waidhofen & Drosendorff irruptionem faciant: quod si præsens esset Anhaldinus, in nomine Domini aleam sese esse iacturum.

Maii 3. die Correspondens siue Collusor Plessenii N. Villiers quamplurima specialia eidem transmisit, de Legatione præsertim Gallica Duca de Angoulesme Viennam versus. Insequenti 4. eiusdem mensis die Cancellarius Palatinus à Grun Plessenio (Pragam à Palatino accersito) circumstantias varias Reg. Maiest. exponendas atque ad animum reuocandas commisit, quarum consideratio Palatinum, Plessenium & D. Camerarium, ambos ipsius familiarißimos atque intimos consiliarios, etiamnum prudentiores ac circumspectiores reddere debebat. Sunt autem tales:

1. Inferior Palatinatus inopia pecuniæ premitur. Hostiles igitur insultus sustinere aut tolerare nullo modo potest. Quin etsi præsens rerum status ita permaneat, nec hostilis inuasio sit metuenda, par tamen ferendo sumtui, in milites VValdmanshusianos atq; equites quingentos Obentraudianos, impendendo, esse non potest, qui per singulos menses triginta florenorum millia excedit.

2. Palatinatus ære alieno obstrictus est in causa Vnionis, centum quinquaginta florenorum millia excedente, in residuo: non annumeratis ijs, quæ in celebrando fortassis in futurum Vnionis conuentu, ad dinecesse est.

3. Landgrauius Mauritius, qui Vnioni debito ducentorum milliũ florenorum est obligatus, atq; hisce Francofurtensibus nundinis soluere istud promisit, nihil omnino præstitit. Quod si solutio illa facta fuisset, aliquantulum adhuc moræ tolerari potuisset.

4. Commissarij prouinciales inferioris Palatinatus intra nouem mensium spacium super trecenta florenorum millia mutuo dederũt, ditionemq; illam mille quingentis florenis, pro pensione soluendis, aggrauarunt. Nulla insuper apud incolas in promptu est pecunia, mutuo danda, cum Commissarij omnia iamtum loca fuerint perscrutati atque expiscati. Peregrini & ipsi pecuniæ mutuationem detrectant, solutionis metuentes incertitudinem. Camera pecunia prorsus caret, quippe quæ iam antea à Franckenthalensibus septuaginta florenorum millia mutuo acceperit, ad frequentandas nundinas, cum, absque hoc si fuisset, in summũ Palatinatus fuerit coniectus dedecus. Præterea administratio (*Monasteriorum, Parochiarum, ac Pralaturarum antehac in proprios ac priuatos vsus conuersarum*) nummis itidem plane destitui-

tur; cum fruges ac vina vendi commode nequeant, in quibus duobus tamen potissima prouentuum pars consistit.

5. Structura Manheimensis ob eundem defectum continuari nequit. Nuper enim à Deputatis consignatio insinuata est, continens debitum triginta & octo millium florenorum, in residuo adhuc persoluendorum, quorum solutio impossibilis est, cum & alia hinc inde loca in Palatinatu sint munienda, & ad commodam loci defensionem restauranda.

6. Quapropter cum res ita sint comparatæ, nec vlla alia, pecuniam colligendi, supersint remedia, roganda est R.M. (Palatinus) vt de pecunia Vnitarum in Belgio prouinciarum, quam singulis mensibus Vnioni vel Bohemis transmittunt; vel de illa, quæ ex Anglia afferenda est, hoc tempore centum tantummodo millia florenorum, ac elapso mense vno atq; altero iterum tantundem, hisce ditionibus communicentur; aut ad minimum Cassæ Norinbergensi septuaginta quinque florenorum millia hac vice pendantur. Interea census ac tributa florenum scilicet eiusdemq; quadrantem in singulos centum soluendo, erunt ad tempus aliquod augenda, donec aliquando incommoda hæc à ditionibus hisce diuina clementia fuerint auersa.

Mirum alicui posset videri, quod cum Palatini atque Vnitorum status adeo fuerit infirmus, ruinosus, miser atque debilis, tanta tamen iactantia in recensendo atque extollendo suo apparatu, pecunia, munitione, &c. fuerint vsi, & tantum non totius orbis dominium arroganter atque fastuose affectauerint. Quid memorem pecuniarum aceruos, quos ex Anglia Norimbergam missos fingebant, mentiebantur, somniabant? Quid quod vbique locorum conquisita ac postulata fuit pecunia? Vlmæ ac Norimbergæ à D. Camerario: Argentorati à D. Pastore: Hamburgi, Bremæ, atque in Dania, à Kniphusio: in Hollandia, & Anglia à Barone à Dona. Fortassis imaginati sibi sunt miseri illi homines, iactationibus, & minis suis Thrasonicis omnes vbicunque terrarum potestati ac iurisdictioni suæ esse subacturos. Verum spe sua miserum in modum falsi sunt ac frustrati.

Correspondens Parisiensis clancularius 9. huius mensis die Plessenio scribit, sed supposito alio nomine, du Noyer: Expectare se magno cum desiderio, dum copias initarum confœderationum sibi transmittat: percepisse se alicunde, aduersam partem aliquid contra inferiorem Palatinatum moliri: veruntamen sese arbitrari, ob succursum Hollandorum, & commixtionem iurisdictionum trium Archiepiscoporum

Electorum cum Palatinatu, propositum istud ad aliud vsque tempus dilatum iri: N. Hispanis vehementius esse addictum, quam regem Galliæ: binos legatos Gallicos, Bethunes & Preauxium procul dubio N. aduenisse: hos Ducem Angoulesmensem statim esse insecuturum; qui duobus Vnionis legatis dixerit, Legatorum Gallicorum instructionem atque intentionem directam esse ad tractandam pacem, impediendumque Turcæ in Christianorum terras incursum: in mandatis præterea datum ipsis esse, vt vtriusque religionis Electores ac Principes hac de re compellent. Sed familiarem quendam atque amicum suum, qui bonam Instructionis partem pellegerit, in aurem sibi suggessisse, quod Catholica illis Religio in Instructione ista grauibus & ponderosis verbis sit recommendata; quodque eo diligenter ac sedulo contendere ipsis mandatum sit, vt Regem Bohemiæ (Palatinum) à proposito suo & Corona dimoueant. Licet enim aliud alibi prætexuerint, breui tamen ex propositione eorum, ad Vnitos Principes, manifestum fore, quid moliantur aut parent.

Achatius à Dohna (qui ante annum abdicationis & electionis negotium Pragæ tractauerat) 5. 15. *Maii Lingelsheimero, Electoris Palatini consiliario intimo, ex Anglia scribit:* Heri se apud regem Angliæ fuisse, vt cognosceret, quid de legatione Gallica in Germaniam missa futurum esset: nondum autem sese potuisse animaduertere, quod & Angliæ Rex legationem eodem missurus sit: promisisse quidem Regem, resolutionem intra paucos dies sese daturum; eam sibi esse expectandam; eius, cumprimum facta fuerit, locum tenentem Heidelbergensem certiorem se esse redditurum: in mandatis sibi dedisse regem, vt Electori Palatino scribat, Ducem N. cum Palatino, Vnione & Hollandis, ob diffidentiam & differentiam, in qua cum N. versetur, vniri & confœderari cupere: regem existimare, ipsum esse audiendum, eiusque rei Hollandos certiores iam esse factos.

Decimosexto eiusdem mensis die sæpe dictus Plessensis Collusor Parisiis ad eundem Lingelsheimerum, supposita literis nuda ac vnica literula N. scribit; narratum sibi esse, quod Vnitis Ducibus cor in genua decidere cœperit, nulla alia de causa, quam quod ex Anglia resolutionem totalem & placentem non accipiant; dubitabundos præterea illos

illos esse, atque in ancipiti hærere, vtrum exercitui in Alsatia transitum ad Breysachium concedere debeant, necne; quin imo spem illos omnem, ob contrariam Electoris Saxoniæ resolutionem, abiecisse: hoc multis dolere in Gallia, qui consultum esse ducant, si Palatinus coniugem suam in Angliam, vt parentem suum, proceres ac populum ad suppetias genero suo ferendas aliquanto fortius concitaret, ablegaret: istud consilium non à vulgatæ sortis hominibus, sed à viris illustribus & grauibus suggeri: monitum itaque velle Plessenium, vt suo loco, tempore atque occasione istud in medium proferat.

Quamobrem cum Palatinus eiusque consiliarii ex hisce, quæ hactenus gesta fuerant, rerum suarum infirmitatem satis animaduertissent ac deprehendissent, alia rem via aggredi cœperunt. Misso itaque ad Bauariæ Ducem legato D. Camerario, spe vana tumido, id agebant, vt, si non posset ad ferendum auxilium, saltem ad neutralitatem obseruandam illum disponeret. Sed & hæc illos spes fefellit, vti ex literis correspondentibus, inter Electorem Palatinum, & Ducem Bauariæ hinc inde missis ac remissis, liquido cuiuis constare potest. Idem Camerarius, quæ per istud temporis Monachii hinc inde expiscatus fuerat, Plessenio Pragam, adhibitis Ziphris, scribit, sub dato 18. 28. Maii, ann. 1620. Diutius hic (Monachij) quam mihi gratum est, detineor. Excusatio in promtu est, negotia indies magis magisque cumulari, atque vnum alterum impedire. Ex omnibus circumstantiis colligo, Ducem Bauariæ non omnino in neutralitate esse permansurum, sed auxilium Cæsari laturum. Weusinius Dresdæ est; id quod, me interrogante, tacuerunt. Sed vnus ex consiliariis postmodum inter pocula mihi retulit, vbi inter colloquia banni etiam imperialis exaggeratio per discursum in medium prolata est, vnde colligendum, Bauarum graue aliquid tentaturum. Heri auisæ Italicæ, Roma huc allatæ, communicatæ mihi fuerunt, in quibus expresse legitur, Ducem Bauariæ Pontifici significari curasse, se nil nisi Declarationem Cæsaream expectare: illa enim facta statim se irruptionem in Palatinatum superiorem paraturum. Consideratione itaque sane quam diligenti opus esse mihi videtur, propter causas, quas nuper tetigi. Quid si rex Bohemiæ (Palatinus) fratri suo Duci Ludouico-Philippo ad tempus & certas literas reuersales restitutionis cederet, aut certe iuniori principi, cui tutor facile tum inueniri potest; contra illum

enim executio locum non haberet. Sunt quidem hæ meræ cogitationes. Sed lubens fateor, me ex metu aliquando posse præcipitari. Ex vnitis non omnes pari vtentur constantia: maxima pars tempori seruiet. Quod si exercitus Bohemicus aliquid damni cepiet, quod Deus auertat, in malo ac periculoso admodum res nostræ erunt statu: cum nec Hungaris tuto ac secure sit fidendum. Mouent me atque etiam angunt interna nostra mala: irresolutio, defectus pecuniæ, aliaque plura incommoda: & plus quidem angunt, quam omnium hostium vis ac potentia. Deus ipse auxilium ferat. Elector Brandeburgicus, aut eius consiliarij Berlinenses erunt monendi, vt militum conscriptiones maturentur ac promoueantur. Efficiendum præterea, vt (NB.) Saxonis auri pulex immittatur: Dux insuper Pomeraniæ per regem Bohemiæ melius disponatur, & ad nostras partes perducatur. Monachij præparantur omnia ad procinctum bellicum. D. Iocherus conqueritur de imminentibus commotionibus vniuersalibus: sed neruose & circumspecte ipsi occurri, ita vt sperem, rationes dubitandi apud Bauariæ Ducem aliquid esse effecturas, vt est princeps prudens, & nonnihil timidus. Bohemiæ regem (Palatinum) hic nemo titulo regio dignatur; quin & nouæ electionis iunioris nostri Principis ne vnico quidem verbulo facta est mentio. In reliquis etiam omnibus consilia sua tegunt & occultant, vt penetrare in illa facile non sit. Capitanei atque exercitus Duces absentes sunt. Crabatæ merentes immensum ruricolis damnũ attulerunt. Ingolstadij firmum est præsidium, Monachij plane nullum: vrbs autem muniri & fortificari cæpta est. In nouissimis auisis ex Praga, heri à D. Iochero mihi communicatis, narratur, Camerarium Monachium versus profectum esse, ei insidias tendi ac laborari, vt vel viuus vel mortuus in exploratorum potestatem veniat. Profecto istiusmodi mendacia occasionem possent præbere eiusmodi incommodis, de quibus nemo prius vel cogitasset, vel somniasset. Authores igitur istiusmodi nouitatum ementitarum vt cohibeantur, necesse est. D. Iocherus ipse detestatus est illas, vti spero, ex animo. Interim tamen doli & practicæ Iesuitarum non sunt negligendæ. Auisas Roma allatas D. Iocherus omnino negauit, asseuerauitque, nunquam istud in Bauariæ ducis animum venisse. Quotiescunque autem Assecurationis mentionem feci, silentio istud præteriit, ac nude dixit, haud facile Bauarum turbulentis istis rebus

ſeſe immixturum, nec compertum ſibi adhuc ſatis eſſe, quid reliqui Ordines ac Status ſuper hoc negotio ſint decreturi: optare ſe, vt in tempore conſilium vtile capiatur, & maiorum tumultuum, motuumque occaſio euitetur. Vtinam habuiſſemus amanuenſem quendam, qui diligenter omnia protocollare potuiſſet: mihi tempus non ſuppetit, omnia ac ſingula ſcribendi, nec ſatis tuto committi calamo quiduis poteſt. Quod ſupereſt, ad relationem, quam ſimul mitto, me refero. Proceſſiones atque id genus alia multum mihi temporis ſubtraxerunt. Deuotio enim hic admodum ſeria eſt atque ardens, & clerici adeo negotioſi atq; occupati, vt iter meum non parum impediant. Sed quod mutari nequit, æquo animo ferendum eſt.

Tandem Achatio à Dohna promiſſa reſolutio, legationem in Germaniam concernens, data eſt, vti teſtatur extractum literarum Londræ datarum de dato 28. Maii, an. 1620. Regem communicationis Inſtructionis, Legatis in Germaniam Gallicis traditæ, participem fieri non potuiſſe, quod Legatos ſuos non etiam ſimul cum illis ablegauerit: Henrico Wottenio autem, Venetias ad ordinariam ſuam Reſidentiam profecturo, commiſſionem, aliquos Electores, Duces ac Principes de ſuſpenſione armorum ad tempus aliquod, compellandi, datum iri: interea mille Anglos in Bohemiam tranſmiſſos: contributiones etiam pecuniarias à Barone à Dohna paulatim colligi, ſed aliquanto, quam ſpes fuerit, tenuiores: Glaſquinium Ducis Wirtembergenſis Secretarium, nomine Vnionis itidem diligentiſſime apud Regem de ferendis ſuppetiis egiſſe, ſed nec ſatisfactionem, nec promiſſionem, quamuis euidentiſſime & ad oculos demonſtratum fuerit, quam hoc ipſo tempore auxilio opus eſſet Vnioni, vllam accepiſſe.

Sub dato primo Iunii in aulam Cæſaream ſequentia noua ex Hungaria ſunt aſportata: Vlleianos, Gaboris miniſtrum, Capitaneum Damaſdi cum Barone quodam Bohemo atque aliis Conſtantinopoli Budam ſummo cum gaudio aduenifſe, literaſque credentiales ab Imperatore Turcico attuliſſe, eius tenoris, quod omnes & ſingulæ prouinciæ, Bethlen Gabori ſubiectæ, ac iuramento obligatæ, cum Turcico Imperatore pari modo & vinculo debeant eſſe confœderatæ. Imperatorem Turcicum cum Tartaris pacem iniiſſe, iiſdem ingentia munera promiſiſſe: Gabori quadraginta Tartarorum millia ad ferendas ſuppetias pollicitum fuiſſe: quin etiam, vbi opus foret, in propria perſona Gabori ſeſe coniungere, ſanguinemq; ſuum vna cum ipſo fundere, ipſius

& confœderatarum prouinciarum fidelem amicum ac fratrem esse, diesq; ac noctes id operam dare decreuisse, vt pacem cum Persarũ Rege sanciat, omnemq; belli neruum in Gaboris hostes dirigat atque intendat; præfatos insuper legatos Gabori magni precii ac valoris asportare munera; tum etiam Sultanum Bassæ Budensi serio ac sub comminatione amittendi capitis iniunxisse, vt omnia, quæ Gabor fieri velit, ocyus perficiat, nec in quoquã illi aduersetur, cumprimis vero Transsyluaniam, vt aduersus omnem impetum ac vim hostilem defendatur, diligentissime commendatam sibi esse sciat: confœderatas vicissim Prouincias Turcico Imperatori (. NB.) & militaria & pecuniaria auxilia obtulisse.

Duodecimo Iunii Venetianus Correspondens per Ziphras significat, quot milites, quantumq; pecuniæ ab Hispano in Germaniam remittatur, ad ferendum, vti rumor apud aliquos eat, Archiduci Leopoldo auxilium: quid item Vnitarum in Belgio prouinciarum legatus Arsenius apud Heluetios effecerit: à Tigurinis in transitu honorifice admodum narrat esse exceptum, atque vbiuis locorum liberalissime & gratis tractatum: sub insinuatione literarum credentialium illum primo Reformatis Ordinib. gratias egisse, quod prædicatores suos elapso an. ad Synodum Dordracensem miserint, addita hac pollicitatione, quod oblata commoda occasione erga Heluetios vicissim gratos sese sint exhibituri: deinde adductis ad eum finem quam plurimis circumstantiis ostendisse, quanti intersit omnib. liberis Rebuspublicis, vt præsens rerum Germanicarum status probe atq; accurate ab ipsis perpendatur & obseruetur. (*Attendite huc Principes Germani.*) ac militi Hispano ante omnia transitus præcludatur, ne in summum Vnionis præiudicium ac detrimentum in Germaniam irruat: Responsionem fuisse generalem, gratiasque ob beneuolam erga se affectionem actas: Verisimile autem nonnullis videri, Heluetios vix se domui Austriacæ esse oppositutos: immensos enim sumtus ad id requiri, vt vbique ad transitus firma præsidia collocent. Quantum ex Ambassatoris Veneti literis de dato N. 6. Iunii coniici possit, intimam rursus N. N. cum N. familiaritatem intercedere; sed, quod N. N. diu cum moroso isto, negotiis tumultibusque cunctis se immiscente, conuenire possit, neminem credere: disputatum in Senatu acriter fuisse, an Legati ad Imperatorem essent mittendi: 6. huius omnia totius Collegii vota, duob. tantum exceptis, Ducis nutui ac voluntati accessisse: postea autem duo illa vota contraria tanta diligentia & dexteritate vsa

fuisse,

fuiſſe, vt centum ſeptuaginta ſeptem ſenatores ſuffragantes ſibi atque aſtipulantes reddiderint, relictis à Ducis partibus votis tantummodo quadraginta, &c.

Brederodius decimo quinto, & quinto Iunii Heydelbergæ ad Pleſſenium ſcribit; notum ipſi procul dubio eſſe, quam ob cauſam Conuentus Heydelbergæ indictus Vlmam translatus ſit: ea cauſa motos legatos Gallicos non Moguntiam, vti prius decreuiſſent, ſed Vlmam profecturos eſſe: veruntamen vnum ex illis forſitan iter ſuum ad Electorem directurum, ad perſcrutandum, quo ſpiritualium Elect. Principum atque Ordinũ intentio collimet: Moguntinum, vti fama Heydelbergæ eat, milites ſex mille cõſcribere: hæc & alia Ord. Euangelicos in Germania ad capiendam fortem ac viris dignam reſolutionem excitare debere, idq; eo magis, quod Legati Gallici Ordinibus Euangelicis perſuadere conentur, vt Vnionem miſſam faciant, cum tamen Catholicorum exercitus non ad propriam eorum defenſionem, ſed ad ſtabilitionẽ Cæſareæ dignitatis ſit collectus: his ita perpenſis tempus iam non eſſe, abiiciendi animum, ſed potius ſumendi: ad iſtum finem præſens Dn. Camerarii iter Vlmam verſus admodum eſſe conducibile, vt ordinib. aliter perſuaſis, oſtendat, turbas Bohemicas à negotio Vnionis nullo modo diuerſas eſſe aut ſeparatas: ſeſe (.Brederodium.) Heydelbergæ cum conſiliariis ea de re prolixe egiſſe, pręcipue vero cum Camerario, & ſimul monuiſſe, Vnitis huncce ſcrupulum eſſe eximendum, q. contra ius & æquum ageretur, ſi Vnio exercitũ ſuum defenſiuum cum Bohemico coniungeret: hoc n. conceſſo ſequi, iniuſte & contra fas egiſſe Ord. Bohemiæ, quod Conſiliarios Cæſareos è feneſtra præcipites dederint, regẽ ſuum abdicauerint, nouamq; electionẽ ſuſceperint: quin iſtud cõſiderandum eſſe, quod effectus hic nõ ab armis Vnitorum, ſed hæc potius ab illo ſint cauſata, vti Belgicæ etiam Hiſtoriæ teſtentur, &c. Hoc exemplum non vnitis ſolum Ordinib. ſed & totius Romani Imp. corpori probe ad animum eſſe reuocandum, cumprimis vero vicinis, ad refutanda mandata atq; edictales caſſationes, à Spiritualib. & Catholicis publicatas, ne Euangelici inter ſe diſgregentur aut ſeparentur: partem aduerſam multo prudentius ac circumſpectius in hac cauſa procedere: ſed ita fere per totum orbem res eſſe comparatas, præſertim in Anglia atque aliis etiam prouinciis: Eandem rei faciem etiam in Hollandia finitis induciis eſſe futuram: bello igitur ibi redintegrato Deum ardentib. precibus inuocandum eſſe, vt Eccleſiæ

ſuæ

suæ velit misereri, cùm istius Reipublicæ status interior admodum periculosus etiã sit & dubius, propter factiones & schismata, inibi exorta, tum etiam propter militum penuriam: Spinolam quatuor mille equites, & sex mille pedites vltra priores conscribere decreuisse: quod si Moguntinis coniungantur ab vna, ac Leopoldianis, in Brisgoia cõmorantibus, ab altera parte: exercitus simul etiam Bauaricus Vlmam contendat, atque ita coniunctis viribus in Palatinatum inferiorem irruptionem faciant, quid futurum sit, intelligere ac coniicere quemuis facile posse: succursum Hollandorum in Marcha adhuc hętere, ex Anglia incertum esse, quid futurum sit responsi aut auxilii.

Alius ex Roma clancularius Correspondens de dato 6. Iunii, cum subscriptione 136. multa transmittit specialia, qualia nimirum in Italia contra Hispanum agitentur consilia: Ambassatorem Hispanum apud Pontificem, annuum auxilium, atque id quidem satis grande, pro Cæsare instantissime vrgere: quod vbi successerit, dubium non esse, quin reliqui in Italia exemplum Pontificis acriter ac strenue sequantur: id enim in causa fuisse, quod contributionibus imponendis hactenus tam fortiter sese opposuissent, cum in propatulo fuerit, Pontificem, facultatibus licet atque opibus abundantem, Cæsari tamen auxilium ferre detrectare, cũ tamen negotium hoc atq; dissidium, si non propter consequentiam, saltem per viam concomitantiæ, Religionem concernat: decrescente enim vi ac potentia Principum Catholicorum, Protestantium autem indies magis magisque incrementa capiente, Religionem Catholicorum graue passuram esse præiudicium ac detrimentum, Protestantium contra augmenta indies maiora sumturam, vt exemplum Clericorum, è Morauia Romam venientium, satis superque demonstret. Verum Pontificem muro stupidiorem atque immobiliorem esse: magisque ipsum Hispanorum insolentiam, in vicinia positorum, quam prosperitatem Palatini, longius ab hinc remoti, formidare.

Septimo Iunii Achatius à Dohna Londra Lingelsheimero literas misit, in quibus primum conqueritur, quod adeo ipsi pauca de rebus in Germania contingentibus communicentur. Perscriptum quidem ad sese esse, quod Dn. Camerarius Monachium aduenerit, sed responsum quale acceperit, omnino taceri, cum ex vsu tamen ipsorum sit, vt harum ac similium rerum certior fiat: quod (.responsum.) si cognitum atque exploratum sibi esset, multum Legationi, in Imperium mittendę, lucis esse allaturum: Londræ omnia in magna esse perplexitate & confusione:

fusione: vix igitur resolutiones, ac ne vix quidem, ad Conformitatem quandam dirigi redigiue posse: spargi Londræ in publicum omnis generis Tractatus, Vienna & Bruxellis allatos; Exempli gratia, vnum sub titulo, qui est: FIDES BOHEMO-PALATINA; aliosq; similes. necessum igitur esse, ac temporis conditionem ita postulare, vt è contra Iustificatio negotii Bohemici, aliæque ad istud necessariæ replicæ publicentur, inque lucem edantur. Romæ nunciari, quod strenue ibi desudatum fuerit, vt res in talem cum Electore Palatino deducatur statum, qualis fuit Electoris Saxoniæ, tempore Caroli V. quod infortunium Deus clementissime à nobis auertat.

De tractatione Vlmensi inter Catholicos atque Vnitos facta, Locumtenens Heydelbergensis de dato nono Iulii, vel vigesimo nono Iunii, Plessenio scribit: haud quaquam sese dubitare, quin Bohemis ac regi ipsorum (. Palatino.) admodum displiceat, quod exercitui Alsatico transitus sit permissus: ipsum autem (. Plessenium.) optime nosse quod sæpe resolutio quædam capiatur, cuius Heidelbergæ nulla sit notitia aut scientia: hisce adiunxisse se Transactionis articulos, inter Bauariæ Ducem atque Vnionem initos, Electorali Palatinatui itidem parum profuturos, cum totius belli moles in eundem deriuetur atque attrahatur, & cum bello etiam sumptus atque impensæ: metuendum præterea esse, ne Ditiones Comitis Palatini Ludouici Philippi, durante tutela, maximum detrimentum sentire cogantur, quod querelas futuro tempore aut rixas mouere siue excitare posset: consultum itaq; esse, si Rex vel ipse, vel per alium, illum informaret, cur fieri ita necesse esset, p̄sertim cum tutelæ finis iam immineat: intentionē Spinolæ adeo secretā esse, vt nemo hactenus firmiter penetrare in illā potuerit, quo tendat, breui tamē certitudinem esse secuturam: Deum rogandū, vt omnia bene administret: adiunctas esse litteras Francofurtensium, plane ex voto (NB.) sese declarantium: Heydelbergæ expectari resolutionē, captatā super tractatione cum Duce Bauariç, vti secundū tenorem illius ad vicinos Clericos scribi possit: vereri se (. Locumtenentem.) vt, si defensio aduersus Spinolam sit suscipienda, illis possit parci: necessitatem n. nō habere legē (. si nous nous debuons defendre contre Spinola à peine les prestres ponront estre espargnez. & alors la necessite n' aura de loy, ex.) Camerarium, ea quæ hic Chartæ Commissa fuerunt, Pragam missurum: responsionem esse ad monitorium Cęsaris: D. Eisenium inique agere, quod negotium hoc, publicam salutē atq; vtilitatem in se continens,

tinens, ob priuatum suum emolumentum præpedire conetur; quanq. in eo non sit reprehendendus, qꝫ pro labore & opera à se exhibita atq; impensa recompensationem postulet: munus regi (. Palatino.) à rege Suetiæ oblatum, reuera preciosum esse atq; magnificum: dictumque Sueciæ regem nuper sub ignota specie Heydelbergæ fuisse: videri regem ac moderatorem fore cordatum, prudentem, ac zelosum: eleganter ipsum ac bene Latina, Gallica, Italica ac Germanica linguis loqui: erga Religionem & negotium Bohemicum apprimis & propense affectionatum: varii generis informationes sese vna cũ Iohanne, Comite Nassouico, ipsi suggessisse: dictum Comitẽ Manhemium cum ipso profectum, deinde ad castra Marchionis Badensis: eumq; in itinere exercitum Cæsareum à Liga dependentẽ vidisse: Marchionẽ ipsum agnouisse, ac similiter optime informasse. Quo facto, regẽ ita se declarasse, quod tantum adminiculi negotio huic esset allaturus, quantum regni sui status & conditio permitteret: regẽ procul dubio iam Berlini esse, quæ eius intentio ibi sit, Plessenium optime nosse; optandum itaq;, vt felicib. ibi successib. fruatur. Comitia Neusolentia Hungarica oẽs ac singulos attendere: modo constantes Hungari perseuerarent, exercitũ Cæsareum transitu facile posse prohibere: dolere se, quod Ordin. Austriaci milites suos cassare decreuerint: hac n. ratione resolutionẽ eorum de subiiciendo sese alterius dominio captatam (*.nota defectionem.*) multum periclitaturam; se (.locumtenentem.) exactissime nosse, quod regi Sueciæ molestum esset, si Daniæ rex aliquanto potentior euaderet: metuere n. istum, ne quid cõtra se moliatur. *Formalia verba hæc sunt:* Ie sçay que le Roy de Sevveden ne desire l'accroissement de celuy de Denemarck, come il me dict luy mesmes, qu'il ne pouuoit souffrir que cestuy cy deuient trop grand, craignant qu'apres il n'entreprint par dessus luy, &c.

Iulii die nono, aut vigesimo nono Iunii quidam ex Heydelbergensibus consiliariis, domi relictis, Plessenio scribit, narrans principio, quæ indicia habeant de aduentu Spinolæ: quibus item in locis milites Anspacenses, Badenses & VVirtembergenses sint constituendi. Postea ad literas Baronis à Dohna, ex Anglia missas, dilabitur; inde, *inquiens,* manifestum fieri, Anglos pecuniam Anglicam sibi ipsis arrogare; eosdemque aduentantes non esse armatos: conclusum hodie in Senatu fuisse, Baroni à Dohna præsentem rerum in Electorali Palatinatu statum, ac pecuniæ penuriam, quæ magis deficiat, quam exercitus, esse significandam: armaturam Anglis conuenientem.

entem Heydelbergæ non reperiri. In ſumma, ſi nobis pecuniæ ſaltem copia, illis vero conclauium magnifice extructorum copia fiat, ambobus pulcre ſatisfactum iri, &c.

Eodem die originales literæ à Rege Angliæ ad Electorem Palatinum datæ repertæ ſunt, in quibus non Rex Bohemiæ, ſed tantum Monſ. mon treeher filZ, le Prince Electeur Palatin du Rhin, intitulatur, quæ tales ſunt: Notum eſſe Palatino, quod ab initio horum diſſidiorum, in Germania exortorum, à rege Hiſpaniæ non ſolum, verum etiam ad requiſitionem Palatini atque Vnionis ad fungendũ Interpoſitoris officio, rogatus fuerit, quod & Bohemis non diſplicuerit: hanc igitur ob cauſam eſſe motum, ne in cauſa iſta partialem ſeſe exhiberet, ac promiſſis, vtrique parti factis, refragaretur, & conſequenter candoris ac reputationis ſuæ iacturam faceret: Etſi autem commune vtriuſque (. Regis ſcilicet Angliæ & Palatini.) intereſſe, vti & Conſanguinitatis ac Religionis reſpectus perſuadere Palatino fortaſſis potuiſſent, vt putarit, obligatum eſſe Regem Angliæ, vt defenſionem ſui in diſſidio Bohemico ſuſciperet, eaſdem tamen rationes motiuas ipſum ab iſto propoſito dimouiſſe, ne ſe turbis iſtis immiſceret: cum probe ſciat rex Angliæ, Palatino eiuſque domui vix vtilius præſtantiuſque amicitiæ genus poſſe exhiberi, quam ſi in poſſeſſione ſuarum ditionum ac ſubditorũ propriorum tranquille conſeruaretur ac defenderetur, nec ad captationem nouæ ac periculis plurimis refertæ acquiſitionis animaretur atque armaretur. Ad incrementum religionis quod attinet, & ibi graues ac ſatis ponderoſas ſe habuiſſe rationes, quo minus PALATINI partibus accederet, ne ſuo exemplo aliis etiam Principibus, hactenus in neutralitate ſua perſeuerantibus, immiſcendi ſeſe turbis hiſce, aut omnino ad aduerſam partem transeundi anſam præberet, vnde nihil aliud, quam generale Religionis bellum cum extremo ſcandalo ac præſentiſſimo totius Chriſtianitatis periculo coniunctum, eſſet ſecuturum: eaſdem rationes etiamnum ſe mouere, vt huic reſolutioni in poſterum etiam inhæreat, idque operam det, vt oleum potius vulneri infundat, mediante interpoſitione ſua, quam ignem igni ſuperaddat. Ac licet prima quidem ſolicitatio, à Rege per Doncaſtrium facta, fine ſuo fruſtrata fuerit, tamen haud ſe intermiſſurum, quin vlteriorem interpoſitionẽ adhibeat, atq; ideo magis, quod iam certioris effectus ſpes affulgeat, & interea temporis res maturatæ, atq; animi aliquãto melius ad reconciliationẽ ſint

dispositi: se non dubitare, Cæsarem bene ad id esse inclinatum: pariq; ratione sperare, Palatinum non minus votis suis esse accessurum: rogatum itaque illum velle, vt ad id taliter se disponat, qualiter pietas sua ipsi sit dictatura: Pacem principalem belli intentionem esse debere: atque eo prudentiorem quemque esse, quo pacis ac concordiæ est studiosior: cum è contra ex continuatione belli huius Christianitas (. NB.) facile ad extremam adduci perniciem, & Turcæ insultib. ac tyrannidi obiici possit (. que la continuation de ceste guerre exposera la Chrestiente à l' inuasion du Turc par la bresche de vostre patrie.) atq; hanc causam esse, quod latores harum, equites, Con Vuoy & Weston, ablegauerit, à quibus plura Palatinus sit percepturus.

Octauo eiusd. mensis die alius ex Anglia Plessenio scribit, consiliarios intimos misisse nobilem quendam Scotum Heidelbergam, percontatum, quid rerum ibi agatur: Robertum enim Drurium mira de Palatino atque eius ministris aulicis retulisse: nobilem autem illum è contra inde reuersum eiusmodi informationem attulisse, qua Regi & Principi Henrico optime esset satisfactum: Convvaium & VVestonium, vt & Dikensonium, ante biduum in Germaniam profectos, vt pacem sanciant, interea pro rege Bohemiæ per totam Angliam & Scotiam pecunias colligi: spirituales quotam suam iam persoluisse: inter ciuitatem Londensem & Cameram dissidium exortum fuisse, sed plerosque Ordines à Ciuitatis partibus stare: Pontificios ex variis occultis aspectibus coniicere, ingens infortunium Regi Bohemiæ (. Palatino.) impendere: regem præterea passim suggillari ob ingratitudinem, qua in Comitem Turrensem, cuius tamen adminiculo potissimum Coronam acceperit, vsus fuerit: iam missum illum fieri, atque ad vitam priuatam degendam cogi, Anhaltino contra ad Generalatus officium ac dignitatem promoto: Scotum quendam, nomine Maxvvelium, carceri inclusum esse, ob tractatum quendam ab ipso editum, in quo media aliquot pacis inter Cæsarem & Palatinum restaurandæ proponit, inter alia dicens, titulum Cæsaris ad Coronam Bohemicam multo melius esse fundatum, quam prætensionem Palatini, prioremq; electionem posteriori longe anteferendam; commodissimum igitur superesse remedium, vt Palatin. regno Bohemico cedat: Cæsar contra Palatinum ad Rhenum regem creet.

Interea temporis initium fiebat Comitiorum Neusolensium. Bassa itaq; Budensis sub dato 18. Iulii Bethlehem Gabori scribebat, eundemque simul monebat,

vt eo-

vt eorum, quę in Comitiis agerentur, certiorem ſeſe redderet, cumprimis vero, an ordines Hungarici Gaborem, ad mandatum Imperatoris Turcici, in Regem Hungariæ eligere ac coronare velint, nec ne: cũ Ferdinando ſine conſenſu Sultani pacem nullam iniret, alias iram Ottomannicæ Portæ atque indignationem ſeueriſſimam in ſe deriuaturus: deniq; vt propugnaculum Waitzen Beegæ Granenſi traderet, eũque in finem aliquem ex ſecretiſſimis ſuis miniſtris ad Baſſam ablegaret, poſtea enim iſtiuſmodi media ſeſe inuenturum, vt locus iſte abſque cæde & ſanguinis profuſione occupetur; atque hac ratione nullam Gabori culpam imputari poſſe, quod ipſius conſenſu factum fuerit: ſatius eſſe, vt Gabor fieri ita ſecreto permittat, quam poſtea vigore compactatorum publice id ipſum facere cogatur.

Ex amica hac & familiari Gaboris & Turcæ correſpondentia tantos inferioris Auſtriæ ordines ſumebant animos, vt non vererentur, S. Cæſ. Maieſtati Rhæzio per Kuffſteinerum, ad citationem ad præſtandum homagium, ſignificare; quod, niſi Cæſ. Maieſtas ordinibus liberum Religionis exercitium ſimpliciter permitteret, confœderationes cum Hungaris, Bohemis & reliquis Prouinciis initas approbaret, declarationemque ſuam ad hæc duo puncta intra quatuordecim dierum ſpacium ipſis tranſmitteret, de alio ſibi Domino, cui Homagium præſtare ſint parati, proſpicere decreuerint. Eiuſdem tenoris literas ad obedientes etiam ordines mittebant, in quibus exemplum Bohemorum ob oculos ipſis ponebatur, ſimulque monebantur, ne occaſionem, ſimilem proceſſum aduerſus ipſos inſtituendi, atque è feneſtris deturbandi, præberent.

Vigeſimo Iulii die Gabor liberos Heiduccos ad Teiſſam per Legatos à S. Cæſ. M. abalienare conatus eſt, multa multis & prolixis verbis in Inſtructionis Legatorum articulo quarto iactitans de familiaritate & correſpondentia, quæ ſibi cum Turca intercedat: Sultanum maximas ſibi ſuppetias (NB.) aduerſus Germanos promiſiſſe: quin & decem Regum Legatos in Porta Ottomannica à ſuis partibus ſtare, qui decreuerint, præſtantiſſima pretioſiſſimaque munera Conſtantinopolim mittere: nec minus Wallachiam & Moldauiam ſibi adhærere, quarum ope pacem, quam Ferdinandus cum Turca fecerit, facile elidere, atq; aliam, Heiduccis multo vtiliorem, ſancire poſſit.

Quin & antea ita cum Turca tranſegerat, vt ordines Hungaricos Sultano pari ratione ac modo ſubiiceret, vti Tranſyluani ante annos ſeptuagintaquinque Romano Imperatori, vtpote Hungariæ regi, ſeſe ſubiecerant. Iam vero Heiduccos

ab incursionibus in Turcas (vti ad 7. articulum præfatæ Instructionis videre est) sub comminatione seuerißimæ pœnæ prohibebat, eorumque supremo duci significari curabat, nisi ab eiusmodi excursionibus sibi temperarent, ita se in illos esse animaduersurum, vt alii documentum & exemplum inde sumant. Quod si tanto ad bellum desiderio ardeant, mitti illos ad castra sua debere, vbi à suis & confœderatorum partibus (inter quos & Vniti certo modo comprehenduntur) contra Ferdinandum (NB.) militare, atque fortitudinem suam pro virili exercere possent ac deberent.

Multa hic referenda ac commemoranda essent, quæ Ludouicus à Starnberg, & Zacharias StarZerus nomine Austriacorum; item quæ Legati Bohemici, nomine Palatini, & rebellium Bohemiæ ordinum, in Comitiis Hungaricis proposuerunt, præsertim postulata, in 31. capita digesta, atque alia. In postulatis Palatinis articul. 6. expresse monentur ordines Hungarici, vt sese declarent, an Protestantium Electorum, Ducum, Principum, vt & Hollandorum vnioni accedere velint, &c. Nimis longum foret, specialia omnia ac singula recensere. Sufficiat hic, Erasmi à Landau, Ordinum supra Ensam Legati, & VVolfgangi Christophori à Schallenberg relationem Neusolensem de dato 3. August. ann. 1620. in medium proferre: Post conclusam, *inquit,* Vnionem quotidie deliberationes fuisse habitas, super modo gerendi bellum, tandemque votis coiuisse: indies nunc ad instructionem exercitus inferioris Hungariæ præparationes fieri; literarum ab Imperatore Turcico missarum (NB.) summam ex adiuncta copia cognosci atque animaduerti posse: Comitem Emericum Tursonem literas originales, à Legatis Hollandicis (NB.) Constantinopoli ad Gaborem missas, Starczero ostendisse, ac legendas communicasse, in quibus commemoretur, quod res Gaboris ac confœderatorum apud Imperatorem Turcicum, Vezieros atque alios proceres in optimo versarentur statu, quodque & ipse confœderationem cum ipsis inire decreuerit; quem in finem Legati tantummodo expectentur, &c. 29. Iulij. Gaborem atque ordines Hungariæ, delectos quosdam proceres, in quorum numero Comes etiam Emericus Turso in propria persona fuerit, ad Legatos Bohemicos, Morauos, Silesios ac Lusatos, misisse, qui resolutionem ac responsiones ad postulata ipsorum verbis ac literis communicarint: nunc ad Austriacorum postulata responsum optatum atque acceptum expectari: Comitia breui esse finienda, quandoquidem Gabor currus militares, vexilla atque alias eius generis bel-

licas

licas præparationes dies noctesque strenue vrgeat: eodem die Legatum Cæsarium, Comitem Colaltum, aduentasse; eum Gaboris curru, sed pauco cum comitatu, introductum, monitumque, vt, si quid Cæsaris nomine proponere vellet, maturaret: illum autem propositionem, conquisitis hincinde effugiis atque excusationibus, distulisse, cumque Palatino prius peculiariter ac separatim colloqui voluisse, sessionem deinde in audientia difficultasse: prolongationes autem illas ac dilationes iam ipsi esse præcisas, Comitemque, missis aliquot ad ipsum delectis proceribus, ad comparendum primo Augusti die adductum fuisse: Credentialium ac Propositionis summa quænam fuerit, ex adiuncta copia liquidum fore: Gaborem in continenti proceres atque ordines conuocasse, &, quid responsi dandum sit, deliberasse: inter suffragiorum collectionem Catholicos aliquos, ab aula Cæsarea adhuc fortiter dependentes, in ea sententia fuisse, quod Comitiorum ac rerum bellicarum deliberatio ad tres aut duas septimanas adhuc sit differenda, interimque cum Legato Cæsareo de pace sancienda tractandum: istis vero Gaborem breuiter atque hisce verbis occurrisse: *Deus auertat*; hoc dicto illum tacuisse, perque maiora conclusum esse, quod statim ad Propositionem dandum sit responsum: Istud autem tale fuisse: *Si* Legatus tali plenipotentia esset instructus, vt firmam cum Hungaris ac confœderatis regnis & prouinciis indiuidue atque inseparabiliter pacem sancire posset, pacis ipsum conditiones proponere debere: paratos sese esse ad audiendum illas, & deliberandum, quod necessarium fuerit visum; sin minus, nullam se cum Legato tractationem, quæ regnum Hungaricum separatim concernat, inire posse, &c. 30. Iulij sub vesperam vexilliferum Ridium aduenisse, qui miserum & periculosum Austriacorum supra Ensam statum cum magno doloris sensu nunciarit: quapropter inter illos ita conuenisse, vt sequenti die audientia apud Gaborem solicitaretur, literæ Austriacorum supra Ensam Latine verterentur, atque ipsi communicarentur; Hungarici præterea exercitus irruptio in Styriam solicitaretur (NB.) Hora audientiæ destinata propinquante, competentiam inter Legatos Silesios, Morauos atque Austriacos exortam fuisse; Austriacos igitur solos Audientiam acceptasse, Thanredelium scilicet, Erasmum à Landau, Zachariam Starczerum, & Wolfgangum Christophorum.

phorum à Schallenberg, ac Starzerum Latine proposuisse, in quæ pericula ac discrimina prouincia supra Ensam ex inopinato fit coniecta, quæ si occupetur, tum etiam de ijs, qui infra Ensam degunt, quin de omnibus confœderatis regnis & prouinciis, atque inter has etiam, de Hungaria actum iri: ad hæc Gaborem cum commotione quadam respondisse, partim Latine, partim per interpretem Secretarium: Compati se illis ex animo, sed bono illos tamen animo esse iubere, cum media auxiliaria ipsis haud sint defutura: supra quinque iam equitum Vngaricorum millia Anhaldino se misisse: mirari itaque, quod adeo esset ociosus, nihilque effectum daret: scripsisse se (Gaborem) regi Bohemiæ, vt incursionibus mature obuiam iretur; illum autem respondisse, quod septem in illis locis, vbi tale quid esset metuendum, armatorum millia, sub regimine Comitum Turrensis & Mansfeldensis aleret, quibus Bauaro ac Leopoldo per transitum aureum obuiam ire ac prouinciæ supra Ensam succursum ferre posset: his dictis Gaborem pariter interrogasse, quantum Bauarus ac Leopoldus militum in castris suis haberet? Legatos respondisse de sex turmis & duobus equitum millibus: Gaborem replicasse, exercitum hunc non esse tantum, vt obuiari illi non possit: consultum sese ducere, vt ordines ac proceres coniuges ac liberos suos ad loca munita mittant, ruricolæ vna cum suis in syluas & montes sese conferant, ac cætera Deo dirigenda ac perficienda committant: prouincias ac bona amissa recuperari posse, modo capitis & vitæ salus conseruetur: nec se sperare, quod omnes ac singulas prouincias vno impetu sint deuoraturi aut debellaturi: breui sese cum exercitu suo adfuturum, ac Bauaro, quid possit aut valeat, ostensurum: quod vni ex confœderatorum numero fiat, id sibi ipsi factum putare: Setschio, Emerico Tursoni, Ragozio & aliis iam in mandatis dedisse, vt cum exercitu ocyus pergant: intra quatuordecim dierum spaciū in Stytiam irruptionem se facturum, fortunamque suam experturum: consultum se ducere, vt exercitus Bohemicus Viennam se contendere simulet, quo Bucquoius hac ratione ex speluncis suis educi possit: in summa, hostem dies noctesque esse vexandum: Austriacos quidem retulisse, quod paratus sit ad mouendum castra Bucquoius, incertum tamen esse, quo tendat: metuendum esse, ne, si Bauarus prouinciam supra Ensam inuadat, Bucquoius in regionem infra Ensam simul impetum faciat: quod si exercitus Hungaricus interueniret, coactum iri Bucquoium, hanc missam facere, ac Viennam cum exercitu contendere:

dere:ad hæc Gaborem respondisse, se, quamprimum fieri possit, exercitum suum esse maturaturum, &c. hæc esse, de quibus certiores ipsos facere necessarium duxissent, atque hanc ipsam ob causam famulum Starzeri, Bartholomæum Teublingerum, per postam dies noctesque continuandā ablegatum fuisse: sperare se, ordines hisce omnibus perpensis, quod facto opus sit, esse facturos, &c.

Alia etiam reperta est Relatio de dato Neusolii, 4. Augusti, in qua hac inter alia sunt formalia: Tam Bohemi, quam Turcæ iter Gaboris Posoniense ac coronationem ipsius vrgent. Gabriel Sauastichius cum militibus Cæsareis, quibus Esterhasius commandat, tractationem suscepit, iisque persuasit, vt rebellibus, circa Comorrham degentibus, sese coniungerent. Votum successit. Iam enim Danubium transuecti in Styriam irruptionem parant. Tres Styriæ proceres cum Hungaris colludunt, qui, quamprimum aduenerint, ipsorum statim partibus accedent, seditionemque excitabunt, &c.

Circa id tempus inferiores Austriaci (teste protocollo iunioris Principis Anhaldini de dato 2. Augusti) licet nulla apud illos sedis vacantia fuerit, nec causam aliquam, saltem friuolam, prætendendæ electionis habuerint, Dominum suum hæreditarium abrogarunt, inque illius locum Electorem Palatinum, in Dominum ac protectorem suum, susceperunt: Les estats de ce pays assamblez à Rets (inquit Anhaldinus) ont receu & reconnu auiourdhuy (2. *August. ann.* 1620.) Sa Maieste de Boheme pour leur Seigneur & protecteur.

Silesiorum & Lusatorum legatus, Abrahamus à Dohna Neusolio, Plessenio scribit, quomodo cum Legato Cæsareo processum fuerit, quodque ipsum bestiam dixerint, aliisque verbis iniuriosis insectati fuerint, sub dato 25. Augusti, ann. 1620.

Eodem tempore Anhaldinus ad eundem Plessenium scribit, sub dato Egenburgi 9.19. *Augusti, ann.* 1620. Legatos Gallicos nudiustertius Dominum S. Catherinæ cum Instructione & literis ad se misisse, sequentis tenoris: Se (Anhaldinum) proponere debere pacis media, cumque illis præfatum S. Catharinæ Posonium ablegare: tum etiam Ducem de Angoulesme inter Egenburgum & Cremnitium cum Anhaldino cupere colloqui: monitum se fuisse ab illo, vt prouideat, ne ambitione quadam vel priuato emolumento ductus ianua Turcæ aperiatur ad detrimentum totius Christiani orbis: se

autem respondisse: quod in sua haud quaquam situm sit potestate, absque regis Bohemiæ consensu tractationem cum ipso suscipere: colloquium quod attineat, regi se significaturum; sperare tamen, breui se Viennam venturum (notandum, quod iam tum certo sibi certius vrbis huius expugnationem persuaserint) vbi melior fortassis ac commodior conferendi occasio sese sit oblatura: ambitionem eorum, qui Turcæ fores Christianitatis reserare satagant, sese non fouere: confidere autem in regis sui ac confœderatorum bona causa, quæ tandem sit triumphatura: ex conuersatione Legati huius multa se cognouisse, præsertim quod sibi persuadeant, Hungaros in neutralitate sese esse conseruaturos, quodque magnam sibi de occupatione Austriæ supra Ensam spem faciant: sese autem (Anhaldinum) satis euidenter Legato demonstrasse, prouincias illas Bohemiæ parum hactenus vtilitatis atque emolumenti attulisse, præsertim cum fere semper hosti commeatum ac munitionem suppeditauerint: in summa præfatum S. Catharinæ cum tali Instructione à se discessisse (NB.) vt nihil ex hac Ambasciata metuendum sit mali: hoc maximum esse ac grauissimum, quod exercitus Bauaricus in Bohemiam tendat: necesse igitur esse, vt succursus Hungaricus diutius non differatur, &c.

Cum iam Spiritus Caluinianus in Bohemia, mediante extirpatione Papismi Lutheranorum ac Fratrum Vnitatis, pergere in proposito suo præsumeret, consultum duxit Consiliarius Palatinus, Pragæ commorans, in ditionibus regiis initium facere. Sculletum igitur, quippe supremum aulæ concionatorem ac Caluinismi directorem subornauit, qui regem moneret, vt ditionibus regi immediate subiectis, concionatores ac Ministri orthodoxos (Caluinianæ religioni addictos) præficeret.

Licet vero, vigore literarum Maiestatis, Bohemis concessarum, tales mutationes suscipi nullo modo debuissent, Scultetus tamen propria sua manu sub dato Pragæ 14. Augusti, ann 1620. *ita consulit:* Prædecessores, *inquiens,* reges Bohemiæ administrationem rerum Ecclesiasticarum in ditionibus regiis haud quaquam Consistorio subiecisse, sed Archiepiscopo commisisse, qui ad conscientiæ suæ regulam de illis prouiderit; pro primo. Deinde, proceres, fratribus Vnitatis addictos, ministros suos hactenus non ad Consistorium remisisse, sed libertate sua fuisse vsos: ideoque inde sese argumentari ac concludere, quod Reg. Maiestati (Palatino) multo magis licitum sit, officia Ecclesiastica in ditio-

ditionibus suis secundum conscientiam suam administrare : Regali enim hoc neglecto multum exinde incommodi esse emanaturum.

Qua ratione Reformatio in templo arcis Pragensis instituta fuerit, historica de illa Relatio, typis edita, satis ostendit. Temporalia itidem sub id temporis reformari, ac cameræ regiæ incorporari cœpta sunt : quam ob causam Christophorus à Nosticz, eques ordinis Melitensis, & Commendator Straconicensis, penes supremos regni officiales, ac iuris prouincialis administratores conquestus est, quod Prioratus Straconicensis, absque vlla ratione aut culpa regiæ cameræ addictus atque appropriatus sit, cum tamen non spirituale, sed liberum ac nobile bonum sit, ad commodiorem multorum equitum ac nobilium sustentationem, ordinatum, dispositum atque fundatum. Ideoque petiit, ne proceres regni, in sui ipsorum ac posteritatis suæ præiudicium ac detrimentum, istud concederent, vt in appropriatione Prioratus istius ita procederetur, &c.

Circa id tempus Palatino atque ordinibus Bohemiæ Commißio Cæsarea, vna cum literis à Bauariæ Duce mißis, insinuata fuit : qua de causa Palatinus sub dato 28. 18. Augusti sequens Mandatum Anhaldino transmisit: Hac ipsa, *inquit*, hora nuncium cursorem à Bauariæ Duce missum Pragam venisse, literasque secum attulisse, quarum copiam adiunctam sit accepturus, atque ex illa percepturus, Bauarum, vigore commissionis Cæsareæ, cum exercitu suo in regnum Bohemiæ irruptionem facere, eaque quæ iam dicta commissio fieri velit, exequi decreuisse : sese igitur (Palatinum) Anhaldini consilium expetere, quid sibi faciendum existimet; an in propria persona vel ad Anhaldini, vel ad Comitis Turrensis castra conferre sese debeat: mandare insuper Anhaldino, vt confestim atque è vestigio Comiti aliquot equitum Vngaricorum cohortes, quibus carere possit, Teschinam transmittat : cumque certior factus sit, Electorem Saxoniæ itidem irruptionem aliquam parare, igitur necessarium se maxime putare, vt oculi tandem aliquando, cogente ita summa necessitate, aperiantur, ac media salutis omnia, ad manus sumantur: cumprimis vero ipsius consilium postulare, quo regia coniux ac soboles sint mittendæ, Brinnam ne, an in superiorem Palatinatum.

Post has statim alias iterum Anhaldino mittebat literas de dato

Pragæ 29. 19. Augusti, huiusce tenoris: Cum Dux Bauariæ iam expeditionem militarem in regnum Bohemiæ moliatur, summam postulare necessitatem, vt diuersio, antehac consultata ac decreta, aduersus Ducatum Bauaricum, ocyus maturetur, simulque deliberetur, qua ratione Comiti Turrensi auctior succursus, atque ita contra Bauariæ Ducem, ne vlterius in regnum progrediatur, diuersio vno eodemque tempore fieri possit: & cuinam Duci aut supremo capiti diuersio isthæc committenda sit: vigesimum quemque ex subditis regni Bohemiæ iam in armis esse: cumque necesse sit, vt similis etiam diuersio in Styriam suscipiatur, ea igitur de causa Palatinum Gabori (NB.) scripsisse, vt eandem è vestigio maturaret: Anhaldinum bene ac prudenter esse acturum, si & ipse per literas illum ad eundem finem cohortetur: porro Palatinum Marchioni Iegerndorffensi iniunxisse, vt cum exercitu suo recta in Lusatiam superiorem contendat, ac Silesiis simul mandasse, vt mille pedites ac quingentos equites, quos ad manus habeant, similiter nulla interposita cunctatione Marchioni mittant: cumque Marchio equitatu sufficienti non sit instructus, necessum sese arbitrari, vt, si fieri possit, mille aut sexcentos Hungaros Anhaldinus ad suppetias Marchioni ferendas ire iubeat, (NB.) & ad Comitem Turrensem mille Hussaros in subsidium ablegct: eundem (Turrensem) dubitare, an præsente hoc rerum statu fortassis & Morauiæ periculum intentari, atque ideo expeditio & succursus eius in illis locis requiri possit: se autem (Palatinum) vt in Bohemia cum exercitu maneret, monuisse, quod ob Bauariæ Ducem summe iam esset necessarium, &c.

Vigesimooctauo Augusti, aut 7. Septembr. ann. 1620. Elector Brandeburgicus Angerburgo ex Borussia literas mittebat, in quibus de sponsalibus Sueticis, sequentem in modum conqueritur: Percepisse procul dubio Palatinum ex aliis suis literis, quid in causa sponsalium Sueticorum sub absentia sua Berlini actum fuerit, quantaque ea in re præcipitatio facta: iam sese (Electorem Brandeburgensem) Palatinum certiorem reddere, quod Comes Schwarzburgensis, connubij istius gratia in Poloniam missus, reuersus fuerit: Regem Poloniæ ab Electore Brandeburgensi postulare, vt connubium istud impediat: inter spem metumq; iam sese versari, quin & in medio duorum regum se esse constitutum, quorum vnum necessario offendere cogeretur: hisce

hisce accedere, quod 3. Nouembris, stylo nouo, Comitia VVarsouiæ sint indicta, conuentus autem Ordinum particulares 22. Septembr. sint celebrandi. Cum igitur de sponsalibus istis longe lateque rumor sit dispersus, nihil certius esse, quam quod in illis locis, quo in propria persona conferre sese necesse haberet, dura vsurus sit sorte: tempus præterea sibi concessum perbreue, cum Comitia ante Februarium futura haud putauerit: ad regem quidem Galliæ, Angliæ ac Daniæ, & ad status Hollandiæ rem hanc sese deuoluisse, eorumdemque assistentiam atque consilium implorasse: dubitare autem, an ante præfinitum celebrandis Comitiis tempus responsionem illorum sit accepturus: assistentiam quidem Palatini multis modis sibi vtilem esse posse, sed, ne Palatino minus oportunum sit, vereri: haud tamen sese dubitare, quin Legati ipsius ac confœderatarum prouinciarum, ad Comitia mittendi, consilia sua sibi sint communicaturi ac suppetias laturi, &c.

Hisce postpositis Palatinus nihilominus, vt suppetias Sueticas acciperet, ac correspondentiam foueret, connubium istud promouerat. Ideo rex Suetiæ 18. 28. *Septembr. Stockholmio, Palatino gratias agit plurimas, & auxilium, quantum posit, offert maximum, inter alia commemorans:* Palatinum firmiter sibi credere debere, quod non solum ex animo voueat, vt è difficultatibus, quibuscum iam conflictetur Palatinus, ereptus, inimicos suos ad gloriam Dei, & (.NB.) dilatationem causæ Euangelicæ suæ potestati subiiciat, verum etiam nil sibi gratius ac iucundius contingere possit, quã vt de Palatino quam optime queat mereri: cumq; Palatinus bene inter alia ac prudenter iudicet, multum ex hoc connubio Ordinib. Euangelicis commodi atque vtilitatis, è contra vero Monarchiæ Hispanicæ, tot annos iam tentatæ, plurimum damni ac detrimenti esse accessurum: ideo Palatinum credere sibi firmiter debere, quod consilio atque ope sua quouis tempore, quamdiu vitæ huius vsura frui sibi concessum fuerit, ipsi sit adfuturus, omnemq; cum ipso moturus lapidem, vt tyrannis atque ambitio ista Hispanica profligetur ac conquassetur, &c.

Interea temporis Marquis Spinola in inferiori Palatinatu diuersionem parabat. Eadem re locumtenens Heydelbergensis Palatino de dato 11. *Septemb. sequenti modo scribebat:* informatum se esse à D. Schlotio, quod in conuentu ab Vnitis celebrato quinquaginta adhuc menses, duobus terminis, vno Martini, altero feriarum natalitiarum, persoluendi, per maiora sint decreti atque approbati; quodque maior apparatus conquirendus sit: id

Electorali Palatinatui graue admodum fore: Rusdorfium cum vidua Electorali in regionem Wirtenbergensem profectum esse: reuersum ad castra remissum iri: Secretarii Erckenbrechtii relationes ex castris hactenus simplices ac viles fuisse: Rationem prætendere quod accessum ad D. Generalem & Principes habere nequeat. Sub præsenti confusione pecuniam Danicam vna cum aliis maxime præcipuis reb. auectam fuisse: sed partem earum reuocatum iri: aurum sese compilaturum, ac Palatino transmissurum, si modo secum deferri ad locum suum posset: vereri autem sese, ne Vniti tædium super hac re sint accepturi.

Duodecimo Septembris Comes Mansfeldensis ex castris Palatino inter alia scribit; Expeditionem contra Electorem Saxoniæ ac Bauariæ Ducem ocyus suscipiendam, atq; irruptionem maturandam esse: in Bohemia multos esse proditores: nisi sibi succurratur, protestatur: denique ob pecuniæ defectum conqueritur.

Decimo quinto Sept. Mansfeldensis Palatinum denuo monet, perpensis hinc inde variis circumstantiis commodum esse, vt expeditio contra Saxonem iam effectui detur: rogare itaq; Palatinum, vt, si & ipsi consultum visum fuerit, mentem suam hac de re declaret, &c.

Sub illud tempus Palat. Praga discedens Ordinib. significabat, constituisse secum Gabore, quem laudib. ad cœlum vsq; extollit, colloqui, atque vbiuis locorum, tam Electori Saxoniæ, quam Duci Bauariæ, ita occurrere, vt confœderatis Ordinib. ac Prouinciis nil periculi sit metuendũ: misisse iam se Marchionem Iegerndorfensem cum exercitu Ordinum Silesiæ in Lusatiam superiorem, ad vim ac tyrannidem militum Saxonicorum reprimendam; Mansfeldensem etiam ad limites Bohemiæ ablegasse: seipsum vero in nomine Domini ex arce Pragensi ad castra generalia sese conferre, cumq; serenissimo ac potentissimo Principe ac Domino, Dn. Gabore, Dei gratia rege Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ, Principe Transsyluaniæ ac Siculorum Comite, fratre, amico & confœderato suo intimo, coniunctis armis & consiliis deliberare decreuisse, qua ratione hostes suos retundere ac profligare possint: quæ decreta ac conclusa inter se fuerint, ocyus effectui esse daturos, spe certa nixos, Deum consiliis atq; deliberationib. suis felices successus ac victoriam aduersus hostes esse largiturum: nec dubios, quin regni Ordin. exemplum regis sui æmulantes, id sint facturi propter regem ac patriam suam, ad quod, naturali æquitate ac mandato regio moniti,

moniti, ducātur, ac prouinciali iure obligentur: cumq; supremi Regni Officiales vna cum Palatino ad castra sint profecturi, regina a. cum filio natu minimo Pragæ cōmoratura, corona insuper & priuilegia apud tabulas prouinciales sit relicta: mandasse se Berkæ à Duba, Guilhelmo seniori à Lobkovvicz Georgio à Talnberg, Casparo Caplero à Sulevvicz, Henrico-Ottoni à Los, & Bohuslauio à Michalovvicz, vt interim Pragæ maneant, reginam ac principem natu minimum, vt & coronam & priuilegia regni, defendant & sarta tectaq; conseruent, & casus contingentes secundum ius & æquitatem expediant; addita hac præceptione regia, vt omnes ac singuli ad prædictos refugium capiant, causas ac negotia sua illis proponant, ac diiudicāda committant, denique debitam obedientiam promte ac parate illis pręstent, &c.

Circa finem mensis huius Gabor Tyrnauia sub dato 28.18. eiusdem, Palatino scribit; Commissarios Cæsaris Posonii tractatum pacis etiamnum continuare, sibiq; (. Gabori.) plenariam atq; absolutam gubernationem vna cum titulo regio offerre, modo à Confœderatione, cum prouinciis inita, discedat: se autem in tantum inde abhorrere, vt ne semel quidem de eo cogitauerit: quin imo paratum se potius esse, vt vitam negligat, sanguinemque profundat, quam quicquam de priore zelo atque animi constantia, sanctæ huic Confœderationi exhibita, remittat.

Biduo post idem Gabor ad Anhaldinum literas misit, eo ipso loco, vbi conflictus factus est, repertas, sequentis tenoris: Cupere se ex ANHALTINO cognoscere, quomodo cum exercitu Cæsareo (. quem rumor ferat omnino esse distractum.) sit comparatum: permagni siquidem sua interesse: si Bauarus in Bohemiam irruptionem fecerit, nullum commodius esse medium, quam vt ANHALTINVS Hungaros, adiunctis duobus equitum cataphractorum millibus, aduersus hostem emittat, vt modo ab hac, modo ab illa parte, modo antrorsum, modo retrorsum, istos adoriantur; ANHALTINVS vero cum toto exercitu paulatim sequatur, ac continuis cum illo dimicationibus confligentur ac decertent: hac ratione hostes assiduis Hungarorum incursibus defatigatum, ac victoriam procul dubio acquisitum iri. Quod si (. *inquiunt literæ.*) distractio isthæc exercitus Cæsariani vera fuerit, consiliorum nostrorum nuper cum Dominatione vestra (. NB.) communicatorum rationes haud fuisse intempestiuas, ipso eorum euentu comprobabitur, quantumq; exercitus nostri in Danubianas.

nas partes instituta expeditio illi emolumenti attulerit, iam apparebit, &c.

Interea, cum præparationes istæ atque adornationes bellicæ, à Palatino factæ, Regi Angliæ non admodum, vti obseruatum fuit, placerent, non solum per literas, sed & per Legatos, eundem ad meliora consilia capessenda constantissime incitauit, paruo tamen aut plane nullo apud Palatinum, eiusdem consiliarios, authores ac directores, fructu atque emolumento; testantibus hac ipsa de re Legatorum ad Palatinum, cum iam Martiis sese commisisset campis, Pragæ sub dato 26. 16. Octobr. & 2. Nouembr. missis literis dehortatoriis, quibus, vt honestæ pacis media proponeret, monebatur: vtque propositioni regis Angliæ, honestis, æquis ac piis rationibus fundatæ, satisfactionem præstaret, rogabatur.

Literas istas Palatinus ex castris Rakonicensib. Plessenio & Camerario, Pragæ commorantibus, 5. Nouembr. legendas ac perpendendas transmisit, verum post festum, cum 8. Nouembr. stylo nouo, aut vigesimo nono Octobris stylo veteri conflictus ad Pragam, & insequenti 9. Nouembris stylo nouo expugnatio vrbis subsequuta sit.

Plura alia originalia, scripta & res gestæ, ad vitandam nimiam prolixitatem hic omissæ sunt: quas alia occasione, breui Lectori communicabimus.

Sufficiat nunc ocularis demonstratio, qua ostendimus, quomodo correspondentium Vnitorum hactenus vbique locorum iactata, publicata atque ad sanguinem vsque defensa axiomata, Maximæ ac conclusiones sint comparatæ, quamque diuersa eorum ex clancularriis consiliis, practicationib. & negotio ipso præsumenda cognoscendaque sit intentio. Prolixius quidem dictarum Maximarum debilitas explicari potuisset, sed, quia sæpius vnam eandemque rem ad rauim vsque repetere necesse fuisset, consulto prætermissum fuit. Retentus est ordo temporis, annorum, mensium ac dierum, prout historiæ ratio exigit, vnde prædictæ Maximæ ob continuationem & seriem actorum absque multo labore eo melius illustrari, ac Lectori earum infirmitas ostendi potest.

Notandum autem, maximam Originalium, hic introductorum, partem à Principibus Electoribus, Ducibus, Ordinibus, consiliariis ac similibus (. fortassis ne è vulgari hominum fece quisque intelligeret.) non Germanica, sed Gallica lingua esse conscriptam, quæ tamen bona fide, cum non omnes linguæ Gallicæ aut aliarum sint periti, in Germanicam linguam iuxta literam, quamuis cum festinatione & ex-

tractio-

tractione saltem aliqua, sunt conuersa, quorum Originalia, postulante ita necessitate, quouis tempore demonstrari atque oculis exponi possunt.

Pari modo ob certas ac graues quasdam rationes quorundam nomina silentio inuoluta sunt, quia, vti ex toto negotio constat, directores Vnionis ac Consiliarii Palatini, multis in locis, per varia strategemata, imaginationes ac persuasiones, conati sunt alios sibi adiungere, atque auxilium, suppetias, ac promotionem in colligenda pecunia, munitione ac simili apparatu conquirere: quem in finem diuersis vsi sunt subiectis. Ac licet alicubi repulsam passi fuerint, nouis tamen nihilominus inuentionibus ac mediis solicitarunt, aliosque (. cum iuris sit gentium.) ad auscultationem ac communicationem, sibi exhibendam, quasi coegerunt ac vi quadam compulerunt: quorum tamen aliqui principalib. directoribus, eorum scopum atque intentionem præsentientes, ciuili atq; honesto responso obuiarunt, ita vt rationes suas tandem non ex alieno, sed ex proprio marsupio, subducere sint coacti. Illorum itaque nomina hic consulto prætermisimus, quandoquidem cum ipsis controuersia plane nobis nulla est, nec in iis faba cudi potest.

Mirari autem satis nequeo sedulitatem, diligentiam, ingeniosam astutiam, atque indefessum laborem, quibus Spiritus iste Caluinianus vbiuis locorum, etiam Romæ apud Pontificem ipsum, tum in Gallia quoque, Hispania, Sabaudia & Venetiis &c. ad conquirendos Correspondentes, exploratores & collusores clancularios, itemque ad expiscanda Regum, Electorum, Ducum, aliorumque Magistratuum & Rerumpublicarum secreta atque arcanitates, quo colliment, quantum munitionis, correspondentiæ, & confœderationis singulis in locis in promptu sit, quæ consilia hinc inde agitata, & quot votis firmata, denique quid Iupiter Iunoni (. vt prouerbio loquar.) in aurem dixerit, vsus est. Opera igitur Regibus, Electoribus, Principib. atque aliis sedulo danda est, vt ab istiusmodi exploratorib. sibi caueant, atque efficiant, ne secreta ipsorum consilia ac deliberationes arcanæ ita facile prodantur atque in vulgus propalentur.

Atque hactenus de secundo principali membro. Sequitur nunc

PRIMVM AC TERTIVM PRINCIPALE MEMBRVM.

PRIMVM ac tertium principale notabile quod ſpectat, vix vlla in Hiſtoria reperiri poterit, vllius hominis propoſitum atq; intentionem ita cœptam, conſultatam, decretam, præparatam, effectam atque ſtabilitam fuiſſe, vt ſecundum humanæ rationis vires iudicando omnes putauerint in ſumma illam eſſe perfectione, nec fallere amplius poſſe, ſicut aſtutus ille & verſipellis Caluiniani gregis ſpiritus, mediante Vnionis correſpondentia, facere conatus eſt. Etenim, vti in ſecundo memorabili allegata conſilia teſtantur, dictus iſte Caluinianus ſpiritus iam tum an. 1607. durantib. comitiis imperialibus, fundamenta Practicæ Caluinianæ, mediante Vnione iecit, & ſub ſpecie communium grauaminum, ac titulo Religionis Euangelicæ aliquot præcipuos Imperii Rom. ſtatus ac ciuitates imperiales, ſine quib. non, ad ſe pellexit, ac ſub prætextu extremorum periculorum, à Catholicis eorum ceruici imminentium, quippe qui Confeſſionem Auguſtanam vbiuis locorum funditus extirpare, atque Electores inſuper & alios Imperii ſtatus à ditionibus & ſubditis ſuis expellere ac remouere conarentur, ad retia ſua traxit.

Cui intentioni, ad finem optatum perducendæ, optime illis inſeruiebat bannum imperiale, contra ciuitatem Donawerdam promulgatum, idq; cumprimis apud tres illas primarias imperii vrbes, Argentinam, Vlmam & Noribergam, quippe quas reliquæ inferiores facili deinde opera ſubſequuntur. Argentinenſib. controuerſiam concernentem Monaſterium ad D. Margaretham, ſiue Mariam Magdalenam, in puncto obſoletæ reuiſionis; Vlmenſibus minorationem religionis Catholicæ, eiuſdemq; exercitii ibid. eliminati; Noribergenſib. denique litem, quam de domo Ordinis Teutonici hactenus fouerant, frequenter inculcabant, nihilq; certius futurum eſſe dictitabant, quã vt idem breui tempore metuendus illis eſſet proceſſus. Nec veriti ſunt impudentes iſti, Electorem etiam Saxoniæ, ob controuerſas aliquot facultates, in ſuas partes traducere.

Alii Comites & Domini, Caluinianæ ſectæ addicti, putantes, hac ratione & ſibi vna cum aliis Principib. ad Archiepiſcopatus, Epiſcopatus & ſimilia dignitatum ac beneficiorum genera acceſſum dari, falſa ſpe lactati conſenſerunt.

Gotfridus, Comes Oetingensis, metuens, ne si ob interceptas Carthusianas ædes parere sententiæ latæ cogeretur, pars Comitatus, sibi propria, vix fructus perceptos esset soluendo, ex solicitudine ista liberari, atque hac ratione in possessione tranquilla mansurum se esse sperabat.

Marchio Badensis, propter occupatum à se superiorem Marchionatum, vt & propter reuersales à se redditas, & interceptas Comiti Ebersteinio opes nobiles, in assiduo versabatur metu. Ad quem remouendum ac præcidendum, & sese in occupatione ista confirmandum commodius nullum, quam Vnionis, existimatum fuit medium. Et quia Badensis tanto interesse ob Principatum istum laboret, haud mirum videri debet, quod idem ille Badensis expeditionem hanc Vnionis bellicam pro virib. suis maxime omnium adhuc vrgere, atq; extrema armorum continuare decreuerit.

Generali, Marchioni Brandenburgico, Ioachimo-Ernesto, Episcopatus Herbipolēsis spem faciebat, qui magno ipsi emolumento esse potuisset, ad tolerandos atque à subditis ipsius faciliori opera pendendos triplices aut quadruplices census.

Elector Palatinus, Vnionis caput, Episcopatui Spirensi, ac bonæ Archiepiscopatus Moguntini parti (. quę procul omni dubio ad splendidiorem prædicati Vicariatus atque affectatæ coronæ Bohemicæ sustentationem perquam vtilis ipsi esse potuisset.) inhiabat, quib. Vvormatiensi iam pene consumto ac pessumdato, contentus esse potuisset.

Princeps Anhaltin. Christianus, cui fortuna in expeditione Gallica, atq; alibi etiam, semper fere aduersa fuerat, omnisq; eius labor in vanum ac frustra ceciderat, cum exiguam principatus Anhaltini portionem possidebat, particulam Episcopatus Bambergensis atque Archiepiscopatus Moguntini, feuda insuper Bohemica, quibus Elector Saxoniæ atq; alii, regem nouum non agnoscentes, Status, essent priuandi, expectabat.

Causas, ob quas Duces VVirtembergenses colludere voluerint, inuenire haud facile possim, cum alias talia non affectauerint, nisi fortassis quasi ob rem & negotium commune, vel propter prælaturam Elvvangensem, vel ad Ducatum VVirtembergensem à feudi iure liberandum, aut Comitatum Montispeligardensem dilatandum atque ampliandum à Vicecancellario suo (. spiritui Caluiniano arcte addicto.) persuaderi sibi passi fuerint.

Præfatis Comitiis, anno 1607. Caluinianorum dolis atque astutia res eo deuoluta est, vt principia Vnionis conseruata, dilatata, & stabilita fuerint atque anno postea 1610. Vnio (.collectis iam per integrum biennium pecuniis.) sub prætextu assistentiæ Iuliacensis ad arma processerit, in Episcopatum Herbipolensem contra fidem datam irruptionem fecerit, plurimum ibi, vt & in Episcopatu Spirensi atque Argentinensi, damni dederit, rapinas exercuerit, subditos torserit, internecioni tradiderit, &c, vt paucis dicam, instar hostis aperti sese gesserit.

Præter hæc egregia, si diis placet, facinora nihil memorabile, quod gesserint, nobis est cognitum, cum & prima sua intentione aduersus Catholicos fuerint frustrati, & spolia (. quæ maxima ex parte Ducibus ac Capitaneis cesserunt.) ad persoluenda militibus stipendia non applicuerint, quin &, Catholicis paulatim ad arma transeuntib. ipsi, nulla præuia ex Catholicorum parte sollicitatione, pacem Bauariæ Duci obtulerint, eaque sancita, vrbes imperiales, præter alias incommoditates à se toleratas, sumtus atque expensas ad soluenda militibus stipendia ferre coactæ fuerint.

Idem iste Caluinianus spiritus eod. tempore effecit, vt alii ord. Vniti, Confessioni Augustanæ addicti, Caluinianis consentientes, non amplius nomine Augustanæ Confessionis, sed in genere Euangelicorum titulo fuerint vsi; quasi vero totalis Euangelicæ Religionis inter illos esset consensus: cum tamen Religio Caluinianorum ab Augustana tantum distet, quantum (.ex opinione Caluinistarũ.) corpus Christi à Sacramento, vel cœlum à terra; vti ex libris ac scriptis Doctoris Hoe, Electoris Saxoniæ Concionatoris aulici, contra Theologos Berlinenses, itemque Tübingensium contra Pareum, Scultetum atq; alios sole meridiano clarius liquet.

Quam vero gratum sese in Religionem Augustanam Caluinianus iste Spiritus exhibuerit, exempla superioris Palatinatus, processus Ambergensis, Hassiæ, præsertim districtus Marpurgensis, Palatinatus Bipontini, ac Electoralium in Marchionatu Brandeburgensi prouinciarum satis superque demonstrant.

Elector igitur Saxoniæ, deformationis acturbæ Crellianæ memor, alieno periculo sapiens prudenter sibi ab istiusmodi veteratoribus cauet, ne Confessio Augustana à vulpeculis istis callidis atq; versutis, quæ se vbiuis locorum blande insinuare, quamcunque religionem

nem pro re nata simulare norunt, donec fermento suo totam massam corrumpant, inficiatur, vti exemplum Spirensis prædicatoris, conciones suas Caluinianas vario colorum genere per integrum triennium occultantis, abunde testatum facit.

Quos porro Caluinianus iste Spiritus apud alias ciuitates imperiales, in rebus religionem ac politiam concernentibus, effectus produxerit, arcano ad illas modo irrepserit, maximam paulatim commerciorum partem ac potissimam authoritatem inibi sibi arrogauerit, turbulenta consilia, discordias, seditiones, motus & tumultus excitauerit, fasces ac sceptrum affectauerit, indigenas, vbicunque potuit, expulerit, aliis primariis Imperij ciuitatibus, Aquisgrano, Coloniæ, Spiræ, & nupero tempore Wormatiæ atque Francofurto, quarum ciues ob excitatas à se Caluinianorum suasu ac consilio turbas, partim corpore, partim ære pœnas luerunt, ipsis interim impune dimissis.

Mirandum autem summopere est, quod ordines Imperij Romani, præsertim ciuitates imperiales, licet suo atque aliorum exemplo edoctæ prudentiores fieri debuissent, spiritui tamen isti adeo vafro ac versuto, nihilque aliud, quam Augustanę Confessionis exilium, & mutationem Rerumpublicarum cogitanti ac molienti, tantam fidem habeant, vt coniungere se cum ipso, tanquam amico ac necessario suo intimo, non vereantur. Quidam rerum Politicarum non ignari hanc causam statuunt, quod (vti supra etiam memoratum fuit) apud Principes & ciuitates quasdam imperiales commorentur consiliarij, syndici aut senatores, externa quidem specie Augustanam religionem præ se ferentes; verum cum Geneuæ, Heidelbergæ, Marpurgi, Lugduni Batauorum aliisq; in locis ingenia sua probe exacuerint, ac variis dolorũ generibus inferserint, ac cũ primatibus Caluinianorũ iam correspondeant, facili labore Electores, Duces, Principes ac Dominos suos, à quibus fasces ipsis Magistratuum ac superioritatum sunt commissi, ad Caluinianorum partes traducere, inque extremam perniciem ac interitum pertrahere possunt; qui si agniti, ac deprehensi, cumque rigore examinati, atq; à gubernatione remoti fuissent, ad extrema hæc nunquam peruentum esset; quin & Imperium ac contermine illi regiones exoptata pace fruerentur, quod fieri nequit, quamdiu Spiritui isti peruerso, noxio, clanculario ac versuto locus vllus relinquitur.

Conatus quidem hactenus fuit Spiritus iste, ordines Augustanę Confessionis contra Catholicos irritare, quod plausibile eorum ar-

gumentum fuit: sed fundamentis ac rationibus satis grauibus ac firmis refutatus est à Catholicis, quippe quorum intentio longe est candidior ac syncerior, nec vllo desiderio, Confessioni Augustanæ addictos in sua possessione, iure ac iurisdictione turbandi aut inquietandi, ducuntur. Ac nisi Spiritus iste Caluinianus aliquot residuorum Electoratuum, Ducatuum, Episcopatuum, Monasteriorum ac bonorum spiritualium fame ac desiderio laboraret, tanta, nisi fallor, de abominationibus Catholicorum, idololatria, Monarchia Austriaca, iugo Hispanico & inimicitia Pontificia, querela apud illos vix esset futura.

Certe minus Augustanæ Confessionis ordinibus metuendum est à Catholicis aut à Pontifice periculi, quam à Spiritu Caluiniano. Pontifex enim hactenus neminem armata manu adortus est, nullius ditiones vi ac violentia inuasit, neminem in possessione sua turbauit, qui Augustanæ fuerit Confessioni addictus: nec quisquam Catholicorum quicquam prætendit, nisi quod iure ad se pertinere existimauerit aut probauerit. Spiritus autem Caluinianus, peregre adueniens, omnia peruagatur ac transcurrit loca, veros ac veteres hospites expellit, parum curans, an Lutheranus sit, an Catholicus, omniaq; dolose agit: si hac non succedit, alia aggreditur via, nimirum vi, violentia, igni, ense ac totali Rerumpublicarum euersione.

Ad hæc, comitiis Imperij ann. 1607. celebratis, Vnionis Caluinianæ iacta fundamenta, quædam ex vrbe Aquisgrano, ex defectione Gebhardi, Archiepiscopi Coloniensis, ac controuersiis Argentinensibus materia adducta, præsentiq; negotio sunt applicata, quibus vario colorum genere pictis tantum effecerunt, vt omnes Catholicorum promissiones, declarationes, & supplicationes parui penderentur; Vnio Halæ Sueuorum, Heilbrunnæ, Rotemburgi, ac Norimbergæ, publice, alias vero in celebrationibus nuptiarum, natalitiorum, venationum, visitationum ac similium conuenticulorum, clanculum tractaretur, atq; confirmaretur, ita vt sæpenumero nec Secretarius, sed soli Principes, atque inter hos aliqui, Secretariorum vicem sustinentes, admissi fuerint.

Posthęc res magis in apertum deducta est, & grauamina sub specie aliquando acrius vrgeri cœpta. Cumq; dissidia duorum fratrum, Rudolphi Imperatoris ac Matthiæ, ad arma vsq; deducta essent, Spiritus iste Caluinianus per Christianum, Principem Anhaldinum ac

D. Ca-

D. Camerarium, fidelem Achaten, nomine Vnionis, mense Iulio, An. 1608. apud Cæsarem Rudolphum grauius intonare cœpit, relaxationem grauaminum eo modo postulauit, quo sibi vix satisfactum iri probe norant. Quam ob causam Vniti 27. Ianuar. ann. 1610. missis Hala Sueuorum literis, Imperatorem Rudolphum inauditis prius ac inusitatis comminationibus cogere, atque expressis verbis monere non sunt veriti, quod, nisi ipsorum desiderio satisfaciat, atq; hac ratione damnum aliquod patriæ creetur, excusatos se apud omnes ac singulos velint haberi.

Circa idem tempus Discursus quidam de restauratione Vicariatus (scilicet secundum instructionem Caluinianam) in publicum edebatur, qui Romanum Imperatorem certis (ac Spiritui Caluiniano acceptis) limitibus coarctare, ac, vt ab Electore Palatino ius acciperet, cogere conabatur.

Notum est, quod, postquam compositio per Spiritum Caluinianum in medium proposita, atq; omnis discordiarum occasio & culpa Catholicis (quos à compositione omnino abhorrere falso dictitabãt) imputata fuisset, Catholici tamdem ad ostendendum animum suum, pacis ac concordiæ studiosum, in compositionem istam consenserint, ea tamen conditione, vt Vniti prius super aliquibus punctis sese declararent, ac eiusmodi media proponerent, ex quibus boni ac salutares compositionis effectus possent sperari.

Obtulerunt quidem sese ad id promtos ac paratos Vniti, atque Archiducem Maximilianũ proxime futuris Comitiis, splendidis suis demonstrationibus ad consensum Interpositionis, & fortassis etiam ad suscipiendum Interpositoris officium mouerunt. Cum vero Princeps Anhaldinus, eiusdemque amanuensis D. Camerarius (ad simile Archiducis postulatum, vt eo facilius in negotio procedi posset) expressam declarationem subterfugerent, ac, vt conuentus saltem fieret, clamitarent, mediaq; & declarationes oppido tum secuturas esse dicerent, Spiritum istum Caluinianum olfacere Archidux cœpit; ideoque cum indignatione Legatos dimisit, & interpositionem omnino recusauit.

Interea turbulentus iste Spiritus nec intra nec extra Imperiũ otio deditus fuit, sed sub specie grauaminũ (cũ probe nouerit, ordines Catholicos meticulosos facile terreri posse) re iã ad lapidẽ angularẽ rerũ Bohemicarũ deducta, Norĩberga audaciæ, inhumanitatis, hostilitatis ac com-

ac comminationum plenas literas Duci Bauariæ misit, atque insinuari curauit, quibus Catholicos ad satisfaciendum omnibus ac singulis ipsorum desideriis & postulatis, mediante armorum interminatione compellere conatus fuit. Quibus tamen Bauariæ Dux, ac reliqui Catholici Ordines Herbipoli sufficienter atque efficaciter responderunt.

Quas præparationes Vnio Caluiniana à multis annis ad hoc vsque tempus concinnarit, acta ipsorum conuentualia, Pragæ reperta, satis indicant. Et vt vbiuis locorũ in proposito suo assecurarentur, Vngaricam etiam Coronam Austriacæ domui subtrahere, ac vasallo Turcico attribuere conati sunt. Idque vt eo secretius ac commodius fieri posset, proximus Gaboris cognatus Heidelbergam, sub studiorum prætextu missus est, qui negotium istud in abscondito tractaret.

In Gallia ad dilatandam Religionem suam turbas Regi crearunt, vt succursus (quem in Germaniam missum iri metuebant) impediretur ac retraheretur: quin & dissidiorum inter regem eiusque matrem authores atque incentores fuerunt. In Italia bellum Foroliuiense suscitarunt; postea vero etiam Montferratense, quibus tam regem Hispaniæ, quam Venetos maxima pecuniarum vi priuarunt: taceo sanguinis profusionem, cuius ipsi causa fuerunt. Porro in Italia assistẽtiam atq; auxilium partim solicitarunt, partim obtinuerunt. Heluetiorum Caluinianorum, vt & Hollandorum, in omnem euentum, certo expectatæ sunt supperiæ.

Induciæ Hollandorum, cum Hispanis pactę, cum ad finem properarint, Hispanos ab ope aliis ferenda abstrahere facile posse visæ sunt.

Sueciæ Regem Caluinianus Spiritus ob negotia antehac acta, tum vero etiam ob nouum connubium cum Electoribus Palatino ac Brandenburgensi pactum, facile ad auxilium, sibi contra Cæsarem, Hispaniæ regem ac Catholicos ferendum commouere potuit, cum dictus ille rex alias nimis Zelosum sese ad ferendas suppetias obtulerit, vti originales ipsius literæ testantur.

De Daniæ rege, propter cognationis propinquitatem cum domo Palatina ac Brandeburgensi, itidem omne assistentiæ genus sibi polliciti fuerunt, cum de honore ac reputatione generi regij ac filiæ regiæ actum fuerit.

Ac

Ac licet sæpe dictus hic Spiritus aliquos ex primariis Imperij Electoribus, Ducibus atque ordinibus, dolis ac versutiis suis ad partes suas traducere non potuerit: alios tamen ad dandam mutuo pecuniã; alios ad bonam affectionem & correspondentiam, alios ad vlteriorem deliberationem, alios ad neutralitatem disposuit.

His ita positis, cum iam Caluinianus iste Spiritus, mediante Vnione, in Imperio Romano, tanquam in centro suo, intentionem suã ad summam perfectionem deduxisset, nihilq; amplius superesset, quã vt manus operi admoueretur, Bohemos imprudentes ac stolidos (propter antiqua bella, cum Germanis gesta, inuictam Herculis fortitudinem sibi imaginantes) subornauit, vt negotium aggrederentur, ac consiliarios Cæsareos è fenestra deturbarent. Post legationes missę, ac auxilia clandestina oblata. Demum confœderationes incorporatarum ac reliquarum Austriacarum prouinciarum cum vasallo Turcico initæ; atq;, his omnibus ita structis, electio & coronatio noua Bohemorum, atq; hanc electio Hungarica subsecuta est.

Et hæc quidem omnia eo tempore facta sunt, cum Matthias Imperator, spe accommodationis lactatus, milite non esset instructus; Vniti vero è contra omnibus ac singulis ad rem bellicam necessariis præparationibus satis essent instructi; Austriaci præterea supra Ensam ditionem suam firmis præsidiis, catenis ac fossis, hinc inde ductis, occlusissent, atq; vna cum Austriacis inferioribus Bohemos, per Vnitorum prouincias, militibus, pecunia, & munitione iuuarent; ac mediante auxilio vasalli Turcici Viennam, atque in ea Cæsarem ipsum propemodum in potestatem suam accepissent, vrbem oppugnassent, & in Cæsaris conclaue tormenta displosa emisissent: quin & generalis rei director, Henricus-Matthæus, Comes Turrensis (cuius tamen salus omnis ac prosperitas à domo Austriaca dependet) in tanta apud aliquos vrbis Viennæ incolas versaretur familiaritate, vt non solum illi ipsi, sed & Gynæceum, ex vrbe sese in castra ipsius contulerint, conuiuia ac saltationes exercuerint, ac, quæ horis matutinis in consilium à senatu vocata fuerant, vespere Turrensi exposuerint ac significauerint.

Verum Deus opt. max. secundum imperscrutabilem suam sapientiam omnia hæc Caluiniani Spiritus strategemata, intentiones ac potentiam vno impetu elisit, facta in Austriam supra Ensam primum, deinde & infra Ensam, demum etiam in Bohemiam expeditione, ac subse-

ſubſecuto intra paucarum horarum ſpacium mirabili ac victorioſo conflictu, expugnatione item ſuperioris & inferioris Luſatiæ, ac ciuitatis Pragenſis, deditione inſuper Marchionatus Morauiæ, & accommodatione Ducatus Sileſiæ. His enim omnibus catenata quaſi quadam ſerie ſibi inuicem ſuccedentibus, vis eorum omnis ita conquaſſata, debilitata ac proſtrata fuit, vt omnes eorum Generaliſſimi, Generales, Colonellæ, &c. relicta poſt ſe omni mobilium ſuppellectile, fuga ſibi ſalutem quærere, ac terga vertere coacti fuerint.

Sic ille, qui prius alienis regnis ac prouinciis inhiabat, quanto cū honore in electione ac coronatione ſua introductus fuerat, tanto cum dedecore ex hæreditariis ſuis prouinciis expellebatur.

Ex his igitur omnes ac ſinguli, tam inferioris, quam ſuperioris ordinis homines prudentiores facti, quam graue ſit, clandeſtina conſilia contra ordinarium ſuum Magiſtratum inire, pernicioſas confuſiones, mutationes, confœderationes, correſpondentias, ac ſuppetias ſuſcipere ac ſuſcitare, externis æquiuocationibus ac ſimulationibus, interiori mentis conſilio, intentioni ac propoſito prorſus contrariis vti, diſcant. Etenim Deus iſtiuſmodi dolis irrideri ſe non patitur, ſed ſæpenumero maximas etiam vires, multo labore, ingenio atq; aſtu conquiſitas, iamque ad exoptatum ferme finem deductas, vno quaſi impetu conuellit, ac ſempiterno probro inuoluit.

Nemo etiam, licet ſapientia, ingenij acrimonia, ſagacitate ac verſutia præſtantiſſimus, noxiis eiuſmodi conſiliis, ad ruinam totius Imperij atq; omnium Magiſtratuum vergentibus, ſub vlla ſpecie aut prætextu, ſeſe immiſceat, ſed cane peius & angue eadem fugiat, & quod corde ſentiat, ore loquatur. Licet enim quis proximum ſuum fallere, eidemque imponere ſtudeat (vti in hoc negotio factum eſt, & fieri etiam fortaſſis in futurum poteſt) Deum tamen fallere haud quaquam poterit, cuius tandem iuſto iudicio ipſe perit. Quemadmodum enim Deus bona remunerat mercede, ita mala pœna atq; animaduerſione ſeuera compenſat.

Cumprimis vero omnes ac ſinguli Neutrales, intra atq; extra Imperij limites conſtituti, Sacræ Cæſ. Maieſtati ſiue aliis addicti, Reges, Electores, Duces, Principes, Ordines, ac cuiuſuis conditionis homines mouentur ac monentur, vt in deuotione ac obedientia ſua, propter mirabilem hanc Dei opt. max. diſpoſitionem in apertione ac annihilatione pernicioſorum conſiliorum, perſeuerent, atque ordinario

Magi-

Magiſtratui, iniquè vexato atq; afflicto, tum cauſæ etiam bonitati debitum auxilium ferant, atq; hac ratione propria ipſorum regna, principatus, ditiones ac ſubditos non ſolum, dum ipſi viuunt, ſed & in poſteros ac ſucceſſores ſuos transferant, ſtabiliant, & à clandeſtinis iſtorum machinationibus, qui noua dominia, reſpublicas, religiones, inuaſiones, abdicationes alienorum regnorum ac principatuum affectant, ſarta tectaq; conſeruent.

Quod ſi neglexerint, idem illis metuendum eſt periculi à ſubditis ſuis, quod S. Cæſ. Maieſtati accidit. Facile enim ſub prætextu moleſtæ gubernationis ac grauaminum, denique turbationis in priuilegiis, religione ac rebus religionem concernentibus, anſam arripere poſſunt, à Magiſtratu ſuo, à Deo ſibi dato, deficiendi, eundemque planè procedendi modum vſurpare, quo Bohemi in ſeditione ac rebellione ſua vſi ſunt. Quod ſcilicet hodie mihi, cras tibi fieri facilè poteſt. Ad quem finem aſſequendum inſtrumenta nullo loco deſunt, atq; iſtiuſmodi homines, qui plauſibilibus ſtatim ac in ſpeciem ſplendidis argumentis ac rationibus rem defendere, ac plauſtra Apologiarum fabricari non vereantur.

Quemadmodum in rebellione Bohemica factum eſt: quamuis enim fundamentaliter demonſtratum fuerit, controuerſiæ cardinem non in Religione, ſed Regione verti: nihilominus tamen principaliũ eius directorum conſilia, legationes, atq; informationes, nihil aliud, niſi ſolam & miſerabilem Religionis in Bohemia oppreſſionem, contra literas & priuilegia Maieſtatis ſuſceptam, ſonabant, nunciabant, prædicabant, vnde in Apologiis poſtmodum ſexcenta Religionis grauamina enitebantur & fingebant, ac coram Deo & hominibus de innocentia ſua, quodq; non aduerſus Cæſarem Matthiam, aut domum Auſtriacam (cuius fideliſſimos ſeſe ſubditos eſſe agnoſcerent) ſed contra peruerſa Ieſuitarũ conſilia militarent, ſanctè proteſtabantur. Clanculum autem ex inſtinctu Caluiniani Spiritus, vti ſecundum principale membrum teſtatur, cum indigenis atque extraneis Electoribus, ac Principibus, egerunt, vt Corona Bohemica, Hungaria ac Romanum Imperium vna cum aliis prouinciis Domui Auſtriacæ ſubtraheretur, eademq; ſub Monarchiæ Hiſpanicæ nomine tribus locis ſimul oppugnaretur, dictaq; triplex corona aliis imponeretur, nulla facta fidei aut religionis conſideratione, præterquam quod Spiritus Caluinianus ſeparatim pro Electoratu Palatino effectum dare ſtuduit.

Qua de causa illi, qui Bohemis atq; Vnitis hactenus ex mala informatione consenserunt, fauerunt, eorumq; tentata ac facinora approbarunt, cautiores inposterum fieri, atq; ab istiusmodi dolis cauere sibi debent, idq; operam dare, vt Magistratum à Deo sibi datum defendant, ac conseruent, machinationes istiusmodi dolosas ac clandestinas præueniant, debellent, pacem Romano Imperio ac reliquis Christianæ fidei addictis prouinciis restaurent, ac commune periculum & totalem nostrum interitum declinent atq; auertant.

Illi autem Ordines, qui simili quadam persuasione per Triumuiros, Anhaldinum, Palatinum atq; Anspacensem, atq; asseclas suos, Plessenium, Camerarium aliosque collusores, ac cooperarios, in Vnionem pertracti sunt, procul dubio considerabunt, in quas angustias deducti sint, & in quæ pericula se suosque ipsi coniecerint, cum præsertim consilia, ab Vnione cusa, præsentem afflictionem in Germania, Bohemia, Hungaria, Austria atque incorporatis prouinciis, totque innocentium Christianorum hominum, gladio, fame ac tribulationibus enectorum, necem atq; interitum causata fuerint, de quibus certe omnibus rationem coram tremendo Dei iudicio exactissimam reddere cogentur.

Nisi enim Vniti ad arma prosiliissent, ac in terminis potius defensionis (vti quidem promiserant, sed male fidem seruauerant) mansissent, duces insuper atque principales eius directores, Bohemos in rebellione ac seditione sua, missis auxiliis, consiliariis, & legatis, fouissent atque animassent, quin & ad sequentes extremitates, abdicationem, reiectionem & abiurationem legitimi, coronati, vncti atque ab ipsis proclamati regis, ac domus Austriacæ, itemq; ad offerendam modo huic modo illi coronam Bohemicam, demum ad nouam electionem ac coronationem eosdem incitassent, auxilio atque ope sua, conquisito vndique milite, iuuissent, res hęc ad eiusmodi extrema nũquam deducta fuisset, præsertim cum laudatiss. Elector Saxonię alijq; Electores ac Principes, quin imo ipsum etiam Electorale collegium, ad tumultus istos componendos ac sedandos, pacemq; ac concordiã reparandam sese obtulissent, ac, priusquam desperata ista consilia caperentur, operam dedissent.

Vrbes autem potissimũ Imperiales, Vnioni addictæ, facile iã deprehendere ac cognoscere possunt, omne totius Vnionis onus ac pondus suis humeris incubuisse; cũ non solum ann. 1610. vti sępius iam dictum

ctum est, maximam pecuniæ partem dederint, sed & ex rationibus ac computationibus Norimbergæ nuper, an. 1619. factis intelligere possint, quanta in residuo pars, à Principib. adhuc soluenda, manserit. In subductione sc. 60. mensium Rotemburgicorum, 27. Hailbrunnensium, an. 1611. & 1617. facta, restant ab Electore Brandenburgensi soluēda 136240. à Landgrauio Hassiæ, Mauritio 10816. à Bipontino 9698. florenorum millia. Porro in 10. mensibus, ab Electore Brandeburgico 18280. Bipontino 2516. Culmbacensi 5160. Würtembergensi 18280, Anhaldino 2240. Item in 35. 20 & 50. mensibus ab Electore Brandeburgico 191940. Electore Palatino 54075 Bipontino 17616. Anspacensi 1440. Culmbacensi 9595. Landgrauio Hassiæ, Mauritio 109073.

Nec dubium est, cum Vnio ann. 1619. in 50. adhuc menses persoluendos consenserit, summam iam dictorum Ordinum ac Principum papyro quidem consignatam, ciuitatum autem quotam, numerata statim pecunia, solutam fuisse.

Quod lucrum ciuitatibus imperialibus earumque ciuib. & incolis inde accesserit, ocularis ostendit demonstratio. Nam non solum Romanum imperium in has angustias deduxerunt, sed & se ipsas, vti sæpius iam probatum fuit, per Vnionem isthanc in extrema discrimina ac pericula coniecerunt.

Quod si Ciuitates istiusmodi negotia, grauitatis ac periculi plena, paucorum cōsultorum & syndicorum iudicio non reliquissent, sed maximæ senatus parti ac præcipuis ciuibus diiudicanda ac tractanda commisissent, in eum statum res redacta non fuisset. Nunc remedium aliud in promtu non est, nisi vt potestas illa, à paucioribus hactenus vsurpata, certis limitib. circumscribatur, atque à toto Senatu & delectu ciuium primariorum exerceatur, rationesque rerum gestarum ab ipsis postulentur.

Mirandum autem cumprimis est, cur ii, qui in ciuitatib. imperialibus salutem Reipublicæ spectare ac promouere debebant, contra S. Cæs. Maj. summum quippe suum magistratum commoueri sese permiserint, & cur non potius auxilio atque ope sua ipsi subuenerint, præsertim cum à nemine magis ob iurisdictionis competentiam vexentur, quam ab istis Ordinib. ac Principibus, quibuscum vnitæ sunt: exempli gratia Wormatia, Landauia, & Spira ab Electore Palatino; Norimberga à Marchione; Vlma à Duce VVirtenbergensi, &c. nec alium

defensorem priuilegiorum, iuris, iurisdictionis, ac salutis suæ, à quo omnis istarum salus dependeat, quam Romanorum Imperatorem habeant.

Exemplo sc. vrbium Aquisgrani, Mülhemii & Donavverdæ inescatæ ac deceptæ fuerunt. Quod si perpenderent, tumultum Aquisgranensem & Mülheimensem à spiritu Caluiniano excitatum fuisse, aures adeo patulas isti non præberent.

Mülhemium aliquot Caluinistarum, Coloniensib. commercia sua subtrahere conantium, opera extructum ac munitum fuit, adeoq; iure merito iterum demolitum ac destructum. Quod si Brandenburgenses, Bohemi aut Lotharingi tale quid in præiudicium vrbium Norimbergæ, Argentorati atque Vlmæ simili ratione tentarent, an passuræ ac permissuræ id essent? Minime. Quod igitur tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Si sumtus Donavverdenses restituti fuerint, in tranquillo mox res erit. Consultius igitur multo atque vtilius imperiales Ciuitates egissent, si pecuniam, an. 1610. Vnioni numeratam, solutioni expensarum Donavverdensium impendissent, aut ciuitati Donavverdensi, si non omnino donassent, saltem sub obligatione futuræ restitutionis mutuo dedissent. Nunc in Registris suis splendidos quidem inueniunt debitores, sed viles fortassis persolutores.

Argentinensibus vero inprimis diiudicandum committimus, an non rectius atq; commodius fecissent, si Monasterium S. Margarethæ aut S. Mariæ Magdalenæ (. præsertim cum communia vrbis onera portauerit.) in pristino suo statu reliquissent, quam quod turbulentis se hisce seditionibus immiscentes tantum pecuniarum aceruum erogarunt; quasi vero omnis eorum salus ac prosperitas ab hoc Monasterio dependeret, cum tamen eadem in conditione, reputatione ac potestate, qua antea conspicui fuerunt, in posterum etiam manere potuissent.

Quid de reliquis, Badensem, Ebersteinensem, atque Oetingensem concernentib. deque imaginatione & falsa totalis extirpationis, in Augustanam Confessionem exercendæ, persuasione dicam? cum omnia illa tantis motib. ac turbis occasionem atq; ansam plane nullam dederint, & S. C. Maj. grauaminum relaxationem ac defensionem in Religione ac rebus Politicis sancte promiserit.

Pari ratione Catholici etiam, vti sæpius dictum est, per literas crebro,

crebro, tum vero etiam coram, ſeſe declararunt, ac polliciti fuerunt, quod intentio eorum non ſit, Ordines Auguſtanæ Confeſſioni addi-ctos, in prouinciis, iuriſdictionibus, poſſeſſionib. & iurib. ſuis quoquo modo turbandi aut moleſtandi, ſed exoptata potius atq; aurea pace vna cum ipſis, vtpote membris S. R. Imp. fruendi, & periclitanti imperio ſuccurrendi: modo & ſibi ſuum ius intactum atq; illæſum conſeruetur, nec aliud poſt aliud clandeſtinis ſurreptionibus ſibi ſubtrahatur.

Quod ſi quiſque propriis contentus, aliena, peruerſorum conſiliariorum ſuaſu ductus, non appeteret, ac fides vtrinq; inuiolata ſeruaretur, iam medicina morbo inuenta eſſet. Aequum enim eſt & iuri maxime conſentaneum, vt vnicuiq; ius ſuum, poſt ſancitam Religionis pacem acquiſitum, tranquillum atque integrum relinquatur, cum dicta Religionis pax à Romanis Imperatoribus, Electoribus, Ducibus, Principibus atque aliis Ordinib. ſancita, optimum medium ſit ac præſtantiſſimum vinculum, quo pax in Imperio conſeruetur ac ad poſteros etiam propagetur. Verum ſpiritus iſte Caluinianus, vt mores ipſius ferunt, parem tolerare nequit, ſed vbiuis locorum ſolus ſibi abſolutum regimen in Religione ac Politia arrogat, quo & omnia ipſius conſilia, actiones, dicta & facta vnice collimant. Modo Imperatori Romano debitum reſpectum, poteſtatem atq; authoritatem tribuit: modo ad externam ſaltem ſpeciem nudumque nomen eadem detorquet: nunc Cæſari & Cameræ imperiali in paucis, nunc in plurib. nunc per conſequentiam in omnib. derogat: modo in aliquibus controuerſiis certum iudicem, modo plane nullum recognoſcit, ſed, quemadmodum pax Religionis pacate omnium Ordinum conſenſu ſancita fuit, ita etiam omnes cauſas non Cæſari aut Cameræ, ſed omnibus ac ſingulis Ordinibus eorumq; delectui, pari numero, diiudicandas eſſe clamitat.

Sed huius loci non eſt, omnia ac ſingula ſpiritus iſtius attentata ac molimina explicare, cum alias ſatis notoria ſint & perſpecta.

Electores igitur, Principes atque Ordines, vt ad finem tandem properem, diuinæ iuſtitiæ, diſpoſitionis admirandæ, ac vindictæ certiſſimæ memores, humanam infidelitatem, ſagacitatem, aſtutiam atq; dolum, quæ omnia deliramenta ſunt coram Deo, agnoſcant ac deteſtentur, conſilia toti Imperio ſalutaria ſuggerant, ac Magiſtratui ſuo legitimo aſſiſtant, debitumque auxilium ferant, ſimulationes & diffi-

dia,

dia, hactenus inolita, è medio tollant, amicitiam, concordiam atque imperii harmoniam restaurent, Religionis ac Politiæ pacem firmiter tueantur, neminem in possessione sua turbent aut molestent, spiritui Caluiniano, cum Turca atque eius vasallo correspondenti atq; extrema tentanti (. vti Comitis ab Hohenloe ad Electo. Saxoniæ comminationes de introducendis in Imperium Turcis & Tartaris testatum faciunt.) coniunctis viribus resistant, & Imperium Romanum, se ipsos, posteros, prouincias item & subditos suos à tristissima seruitute, hæreditario Christiani nominis hosti præstanda, atque totali interitu immunes conseruent.

Totus enim iam mundus intelligit, quod, dum Caluinianus iste spiritus omnes ac singulos, quasi actiones suę ad impediendam saltem Austriacam & Hispanicam Monarchiam collimarent, excœcare studuit, sub falso hoc prætextu Romanum Imperium cum præstantissimis suis constitutionib. omnino euertere, ac nouum Caluinianum regimen, & consequenter Turcicum dominatum introducere, firmare ac stabilire, denique totam Christianitatem (. quod Deus clementissime auertat.) in discrimen temporalis atque æternæ salutis, faucibus hæreditarii hostis immittere, modis omnibus allaborauerit atque etiam nunc allaboret.

FINIS.

INDEX

RERVM MEMORATV DIGNARVM, QVÆ IN HAC SECRETA PRINCIPIS ANHALTINI CANCELLARIA REPERIVNTVR.

Dd Came-

cum

FINIS.


PER TOT DISCRIMINA
IACOBVS ZADZIK